BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
23 L
M10

7.
12
C

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

12.3.44

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE VITA BEATA
SEU
DIVINARUM INSTITUTIONUM ADVERSUS GENTES
L. CÆLII LACTANTII FIRMIANI
LIBER VII.

Recenſuit, Variantibus Lectionibus, Annotationibus, Caſtigationibus, ac Diſſertationibus illuſtravit

F. EDUARDUS A S. XAVERIO C. B.





BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, cIↄ. Iↄcc. lvii.
Ex Typographia Josephi, et Nicolai Grossi
In Ædibus de Maximis

SUPERIORUM PERMISSU.

ROM. SOC. IESV * BIBL. SEC. COL.
Digitized by Google

Eño, ac Rño Principi

JO: FRANCISCO BANCHERIO

S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO, ET APOSTOLICO FERRARIENSI LEGATO.

FR. EDUARDUS A S. XAVERIO C. E. S. P. D.

TUam in me munificentiam, CARDINALIS AMPLISSIME, quum ſæpenumero memoria recolerem,

Digitized by Google

atque devoti mei erga illam animi monumentum aliquod extare optarem, quo palam fieret, me nec beneficiorum *Tuorum* fuiſſe immemorem; nec effeciſſe, ut ignaviæ meæ vitio inutiliter diſperirent, id conſilii capere neceſſarium duxi, quod ipſa mihi rerum inopia miniſtrabat, ingenue profitendo, in mea poteſtate non eſſe quicquam, quo digne poſſim aut id, quod debeo, perſolvere, aut modo aliquo *Tuis* meritis congruum rependere. Ut autem hæc ipſa profeſſio mea non omnino vacua ſit, & inanis, quum non minor ſit meæ habilitatis penuria ad aliquod *Te* dignum

ex-

excogitandum ; quam deſiderii *Tuorum* emolumentorum magnitudo , hinc vota ipſa mea *Tibi* nuncupare decrevi, & quidem hac ipſa die , quæ & *Tui* ad ſacræ Purpuræ decus natalis eſt , & quintum *Tuæ* Legationis annum aperit , quo decennalia Principibus ſuis veteres Romani augurari conſueverunt.

Quoniam vero flagrans animus expectare non patitur , ut his expletis de more vicennalia primum , tricennalia poſtmodum rite nuncupentur ; immo quum nullo velim temporis ſpatio circumſcriptam bonorum ſeriem *Te* indipiſci , hinc optata votorum una ſimul , & mul-

tiplici hac nuncupatione ſtatutos jamdiu Romanorum limites tranſire jubeo, & deſideria mea ad æternitatem extendo, quæ ſola ab ampliſſimis meritis *Tuis* ſuperari non poterit. Ave igitur, PRINCEPS EMINENTISSIME, diu vale, atque ſalve; *Tuumque* æternum vivat in memoria hominum præclariſſimum nomen, divinarum Lactantii noſtri Inſtitutionum Lib. VII. præfixum, ceu imaginem Solis in politiſſimo ſpeculo expreſſam, a quo etſi ſplendor ejus augeri nequit, vividior tamen quodammodo redditur, & geminatis, mutuiſque radiis illuſtratur, & fulget.

Ære

Ære, auro, argentove, necnon marmoribus, cæteriſque lapidum generibus vota ſua inſculpere Majores noſtri conſuevere; at quum illa quoque temporis injuriæ eſſent, ut res omnes temporariæ, nihilominus obnoxiæ, ætatem diu ferre, minime quiverunt inviolata. Non ita profecto votis hiſce noſtris verendum eſt, ne adverſus edaciſſimum tempus ſint ſemper valitura, quoniam iis ſunt conſignata literis, quæ jamdiu gaudent immortalitate, talique ſunt materiæ conjuncta, ut nulla poſſint oblivione deleri. Iccirco enim hunc *Tibi* librum inter omnes Lactantianos inſcriben-

dum reſervavi, quod, quum in eo *de Vita Beata* agatur, & titulum *de divino Præmio* præſeferat, ipſa argumenti ratio, & quid a ſummo *Tibi* Numine concedi optem oſtendit, & id, quod velim vel primo intuitu demonſtret.

Nec ſane aliud erat, quod EMINENTIÆ TUÆ meis votis aptius, decentiuſque depoſcerem, quum omnia, quæ in bonis habentur, *Tibi* proſpere fluant, bonoque uſu perennent. *Te* ſiquidem generis nobilitate clariſſimum, ex Equeſtri, Patritio, Purpurato, ac Pontificio electorum Virorum ordinibus egregia Progenies honeſtat.

Te

Te ſumma Dignitas, laboribus ſimul, atque officiis, muneribuſque, quibus, veluti per gradus, ſemper es laudabiliter perfunctus, dudum *Tibi* parta, novo honore, novo cultu, æque ac nova authoritate decorat. *Te* divitiarum copia, non lucri cupiditate quæſita, & locupletat, & ditat, ſed ita (quod vere rarum eſt) beneficum, ac tam liberalem efficit, ut eam unice accepiſſe videare ad fructus ejus ex facili indigentibus humaniſſime elargiendos. Ideoque quamquam aliqui indolis præſtantiam, alii animi magnitudinem, nonnulli conſtantiam, plurimi juſtitiam, plerique integritatem,

fidei

fidei candorem, cęteraſque *Tuas* virtutes grandi celebrent præconio; ſinguli tamen humanitatem, clementiam, liberalitatem, ac in primis magnificentiam, numquam ſatis in *Te* laudandam profitentur.

Quare quum nihilo, quod ad hanc vitam conferri poſſit, indigeas, unum ſupereſt, ut illa, quæ vere beata eſt, potiaris, tamquam præmio virtutum *Tuarum*, quæ *Te* omnium bonorum largitori ſimillimum reddunt, apprime congruo, & ab eodem iis pollicito, qui bene ſuis muneribus utuntur. Hoc eſt, quod *Tibi* auguror, quod ex animo *Tibi* opto, quod ve-

hementer cupio, ac de quo Deum ipſum enixe deprecor, ut poſt longam dierum, meritorumque ſeriem æternorum bonorum cumulum *Tibi* addat, Teque interminata felicitate coronet.

Dabam ex noſtro Collegio S. Mariæ de Victoria Urbis A. D. VI. Kalendas Decembris MDCCLVII.

FR. RAY-

J. ✠ M.

FR. RAYNALDUS MARIA A S. JOSEPH

Præpoſitus Generalis Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis S. Eliæ Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ac ejuſdem Sacri Montis Prior.

TEnore præſentium facultatem impertimur Reverendo Patri Eduardo a Sancto Franciſco Xaverio Sacerdoti Profeſſo Provinciæ Noſtræ Romanæ imprimendi Opera omnia Lactantii Firmiani cum Notis, & Diſſertationibus ſuis a duobus e noſtris Theologis, recognita. Datum Romæ in Conventu noſtro SS. Thereſiæ, & Joannis a Cruce pridie Kalendas Decembris 1753.

Fr. Raynaldus Maria a S. Joſeph
Præpoſitus Generalis.

Fr. Pius a S. Dominico Secretarius.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F.M. de Rubeis Patriar. Conſtant. Viceſg.

APPROBATIONES OPERIS.

DIvinarum Inſtitutionum Libros ſeptem a Cælio Lactantio Firmiano acri judicio conceptos, ſtyloque eleganti exaratos, atque unico volumine comprehenſos, poſt tot editiones ab aliis exornatas, modo in lucem publicam profert Admodum Rev. Pater Eduardus a S.Xaverio Carmelitici Ordinis Diſcalceati Alumnus, quondam Sacræ Theologiæ Prælector, atque inter Supremæ Sac. Inquiſitionis Cenſores adſcitus, notis auctos, eruditione multa cum Sacra, tum profana refertos, ac in ſeptem tomos diſtinctos: quos Jubente Reverendiſſimo Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro Patre Joſepho Auguſtino Orſi Ordinis Prædicatorum, magno animi mei oblectamento a capite ad calcem uſque ſedulò luſtravi, attentèque inſpexi, nihilque, quoad eruditum Editorem attinet, invenire potui, quod Fidei adverſetur Catholicæ, boniſque moribus ſit contrarium, ac in Summos Principes injurium. Ubi ſe offert occaſio clariſſimus Author Veræ Fidei inconcuſſa dogmata, atque Sanctæ Eccleſiæ vetuſtos ritus vindicat, ac tuetur a deliriis, & impoſturis Eterodoxorum, quos ſic impiè obloquentes charitativè admonet, ac blande adhortatur, ut relicta via, quæ ducit ad Tartara, eam ineant, quæ iter pandit ad gloriam. Imo ſi in Textu Lactantiano

ali-

aliquid offendit, quod ad juſtam Fidei regulam non ſit exactum, vel a Fide ipſa exorbitet, fatetur aperte, aſſeritque, Lactantium in Millenariorum errorem prolapſum, eumdemque erraſſe in libro inſcripto *de Vita beata*, ubi loquitur de Elia, nulla prorſus mentione facta de Enoch contra librum Apocalypſeos. Quod in aliis approbationibus librorum a noſtro Authore editorum abſque ulla aſſentationis umbra me dixiſſe, memini, idipſum repetere, ac confirmare in hacce præſenti, jure debebam. Sic ſentiebam ex Aedibus S. P. Franciſci ad Ripas Tyberis octavo Kalendas Septembris anno reparatæ ſalutis ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto ſupra milleſimum.

F. Franciſcus Antonius a Colle-Longo Ord. Min. Strictioris Obſerv. S. P. Franciſci Sac. Theolog. Lector emeritus, ac Sacr. Rituum Congr. Conſul.

Quod

QUod auctoritate Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri, injunctum mihi fuerat, perfeci, maxima, qua potui, ſcilicet, diligentia perlegens Commentaria, & Diſſertationes, quæ in ſingula Lactantii Firmiani Opera elaboravit Vir eruditione præſtans Pater Eduardus Franceſchini a S. Franciſco Xaverio excalceatus Carmelita. In his magna animi voluptate, ingenii acumen, doctrinæ robur, ſcribendi elegantiam, argumentorum vim, & copiam, atque facundiam inſpexi, neque quidpiam, ullibi, obſervare mihi licuit, quod Catholicæ Fidei, honeſtiſque moribus repugnaret: quare ſi, publici juris fiant arbitror plurimam inde legentibus utilitatem provenire poſſe. Romæ ex Monaſterio S. Agnetis extra muros Urbis die xv. Aprilis 1754.

D. Thomas Rita Præſes, & L. Emeritus.

Eru-

Digitized by Google

ERuditione, Doctrina, Methodo, Diligentia, cæteriſque Dotibus, quæ Authorum ſcripta commendant, abunde coruſcant Commentaria, & Diſſertationes, quæ in omnia Lactantii Firmiani Opera Vir Cl. P. Eduardus Franceſchini a S. Franciſco Xaverio elucubravit,& non ſine ſingulari cum ſui Nominis gloria editurus eſt.Quapropter quum jubente Rmo P.M. Sac. Pal. Apoſt. Opus integrum attente perlegerim, & nihil in eis, quod Fidei Dogmatibus, aut morum integritati adverſetur, invenerim, Typis vulganda cenſeo. Romæ ipſis Kal. April. Anni 1754.

Michael Joſeph Morei Arcadiæ Cuſtos Generalis.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Magiſter Socius Reverendiſſimi Patris Sacri Palatii Apoſtolici Mag. Ord. Prædic.

L. CÆ-

L. CÆLII LACTANTII FIRMIANI

Divinarum Inſtitutionum Adverſus Gentes

LIBER SEPTIMUS

DE VITA BEATA.

CAPUT I.

1.

Bene habet, jacta ſunt fundamenta[a], ut ait eximius orator. Verum nos non fundamenta ſolum jecimus, quæ firma, & idonea eſſent operi perferendo[b]; ſed magnis, robuſtiſque molibus ædificium totum pene uſque ad ſumma[c] perduximus.

a *Bene habet : jacta ſunt fundamenta* . Sic Cicero pro Murena , & etiam Lib.I. *de Nat. Deorum* , quem alii quamplurimi ſunt imitati , ſubintelligendo : *ſe res habet* ; ut expreſſe Salvianus ait Lib.III. *Gub. D. Bene ſe res habet* &c.

b *Operi perferendo* : Al. *perficiendo* .

c *Ad ſumma* : Al. *ad ſummam* .

2

Reſtat id , quod eſt multo facilius , vel tegere , vel ornare [a] , ſine quo tamen priora opera inutilia ſunt , & ingrata .

a *Vel tegere* , *vel ornare* : Hactenus de iis locutus eſt Lactantius , quæ vanitatem falſæ Religionis oſtendunt , & veram propugnant , nunc ad præmium eis propoſitum accedit , qui , illa reprobata , hanc , etiam inter maximas anguſtias , ad finem uſque vitæ alacri ſtudio proſequuntur .

3

Nam quid prodeſt , aut falſis religionibus liberari [a] , aut intelligere veram ? quid aut vanitatem [b] falſæ ſapientiæ pervidere , aut , quæ ſit vera , cognoſcere ? Quid inquam

a *Quid prodeſt, aut falſis religionibus liberari* &c. Heic obſerves velim , quam bene ſuperiorum librorum argumenta recenſeat Lactantius .

quam prodeſt cæleſtem illam juſtitiam defendere? quid cum magnis difficultatibus cultum Dei tenere, quæ eſt ſumma virtus, niſi eam [c] divinum præmium beatitudinis perpetuæ ſubſequatur?

b *Quid aut vanitatem*. Al. *inanitatem*: Variationem hæc etiam alibi notavimus.
c *Niſi eam*: Si etiam Aldus, Al. *niſi eum*.

4

De qua nobis [a] eſt in hoc libro diſſerendum, ne priora omnia irrita, & infructuoſa videantur, ſi hoc, cujus cauſſa illa ſuſcepta ſunt, incertum relinquamus [b]: ne quis forte arbitretur tantos labores incaſſum ſuſcipi, dum eorum [c] cæleſti mercede diffidit: quam Deus ſtatuit ei, qui hæc ſuavia terræ bona præ ſola [d], nudaque virtute contempſerit.

a *De qua nobis*. Al. *de quo*.
b *Incertum relinquamus*: Al. *in incertum*. Noſtra lectio elegantior. Aldus legit nobiſcum.
c *Dum eorum*. Bon. *dum horum*.
d *Præ ſola*: Al. *pro ſola*.

5

Satis & huic parti faciamus, quum teſtimo-

ſtimoniis divinarum literarum, tum etiam probabilibus argumentis [a], ut æque clarum ſit [b], & futura præſentibus, & divina terrenis, & perpetua brevibus eſſe anteponenda: quoniam temporalia ſunt præmia vitiorum, ſempiterna virtutum.

---

a *Tum etiam probabilibus argumentis*: Bon. & Aldus *tum etiam probavimus argumentis votum, cum clarum ſit*. Fulvius Urſin. *Ex quibus veſtigiis*, ait, *poſſet heic legi*: *Tum etiam probabimus argumentis, & reſponſis vatum* &c. *Nam Lib.V. Cap.XVIII. dixit*: *quod ex Philoſophorum magnorum argumentis, & vatum reſponſis, & Prophetarum divinis vocibus diſcimus*. Ego autem nihil muto in ea lectione, quam impreſſi, & Mss. libri habent.

b *Ut æque clarum ſit* Al. *& æque*. Al. utramque particulam delent; Heum. vero omnia hæc verba ſuſtulit, & eorum loco legit: *declaraturi*. Al. *clare patebit*. Bun. mallet; *Tum etiam probabilibus argumentis vatum, ut æque tam ex divinis litteris, quam ratione, clarum ſit*.

6

Exponam igitur rationem mundi, ut facile poſſit intelligi, quando, & quare [a] ſit effectus a Deo, quod Plato, qui de mundi fabricatione diſſeruit, nec ſcire poterat [b], nec

---

a *Et quando, & quare*. Al. primam copulam delent. Schottus, & Aldus reſtituunt.

nec explicare: quippe qui cæleſte myſterium, quod nonniſi Prophetis, ac Deo docente diſcitur, ignorabat: ideoque in perpetuum dixit eſſe fabricatum. Quod longe ſecus eſt. Quoniam quicquid eſt ſolido [c], ac gravi corpore, ut initium cepit aliquando, ita finem capiat neceſſe eſt.

---

b *Nec ſcire poterat*. Al. *potuit*. Revera tamen etſi Plato de mundi origine inter utramque ſententiam anceps fuerit, neutram tamen ſibi valuit argumentis perſuadere. Unde bene S. Epiphanius eum pro utraque laudavit, eumque ſibi non conſtare aſſeruit.

c *Quoniam quicquid eſt ſolido* &c. Hinc accipienda expoſitio eſt non ſolum eorum, quæ mox ſequuntur, verum etiam quæ habentur Lib.I. Cap.VII. ſeg.13. & Lib.II. Cap.x. ſeg.22., ubi quidam temere noſtrum erroris poſtularunt, quum non animadverterent, eum de creaturis loqui, ut heic manifeſte appa-ret. Aldus legit: *Et quoniam*.

7

Nam Ariſtoteles [a], quum non videret, quemadmodum poſſet tanta rerum magnitudo interire, & hanc præſcriptionem vellet effugere, ſemper, ait, fuiſſe mundum, ac ſemper futurum.

---

a *Nam Ariſtoteles* Nempe Lib. I. *de Cælo Cap.X.*

8

Prorſus nihil vidit : quia quicquid eſt[a], neceſſe eſt aliquando habuerit principium : nec omnino quicquam poteſt eſſe, niſi cœperit. Nam quum terram, & aquam, & ignem diſperire, conſumi, extinguique videamus, quæ ſunt utique mundi partes, intelligitur, id totum eſſe mortale, cujus membra ſunt mortalia.

a *Quicquid eſt*: ſubintellige *corporeum*, & ab alio productum, ut ſupra notavimus, & quæ ſequuntur demonſtrant.

9

Ita fit, ut natum ſit quicquid poteſt interire. Sed & omne, quod ſub viſum oculorum venit[a], & corporale (ut ait Plato[b]) & ſolubile ſit, neceſſe eſt.

a *Sub viſum oculorum venit*: Bon. *ſub viſu*. Al. omiſſa præpoſitione abſolute legunt: *viſu*.
b *Ut ait Plato*: Scilicet in *Phædone*.

10

Unus igitur Epicurus[a], authore Democrito, veridicus[b] in hac re fuit, qui ait:
&or-

& ortum aliquando,& aliquando eſſe periturum [c]. Nec tamen rationem ullam reddere potuit, ſcilicet aut quibus de cauſſis [d] tantum hoc opus, aut quo tempore reſolvatur [e].

a *Unus igitur Epicurus.* Non quidem ſolus, quum, ut innuit Philo, etiam Stoicorum nonnulli mundi originem Deo tribuerunt; ſed diverſa ratione, & modo ſatis implexo. Vide Diff. xxiv. Cap. v. §. v.

b *Veridicus*: Vox iſta potius poetica viſa eſt Walchio, quod jam notaverat Lib.III. Cap.I. ea tamen utuntur Cicero, Livius, Plinius,& bonorum plerique Bon. *viridicus*.

c *Et ortum aliquando, & aliquando eſſe periturum*. Bon. primum, Aldus ſecundum *aliquando* delent, nos utrumque ex alterutro,& aliis bonis retinemus.

d *Scilicet aut quibus de cauſſis*. In Bon. prima particula deſideratur.

e *Solvatur*. Iſæus. *reſolvatur*, quam lectionem propugnat Heuman. ſed reprobat Bunem. quod ſyllaba *re* bis immediate ſequeretur.

II

Quod quoniam nobis Deus revelavit, nec conjecturis id aſſequimur, ſed traditione cæleſti, docebimus ſedulo, ut tandem ſtudioſis veritas appareat, Philoſophos non vidiſſe, neque comprehendiſſe veritatem [a],

 ſed

a *Ut tandem ſtudioſis veritas appareat, non vi-diſſe*

ſed ita leviter odoratos, ut tamen unde eos odor ille ſapientiæ tam ſuavis, tam jucundus afflarit, nullo modo ſenſerint [b].

diſſe, neque comprehendiſſe Philoſophos veritatem: Iſæus; *veritas appareat nec vidiſſe, nec comprehendiſſe veritatem* &c.

b *Afflarit, nullo modo ſenſerint*. Bon. *adflaret nullo ſenſerint*. Al. *afflavit, nullus ſenſerit*.

12

Interim neceſſarium puto admonere lecturos [a], quod hæc noſtra, quæ tradimus, pravæ, vitioſæque mentes aut omnino non intelligent, (hebetatur enim [b] acies earum terrenis cupiditatibus [c], quæ ſenſus omnes gravant, imbecilloſque [d] reddunt) aut etiamſi intelligent, diſſimulabunt tamen, & hæc vera eſſe nolent, quia trahuntur a vitiis, & ſcientes malis ſuis favent, quorum ſuavitate capiuntur, & virtutis viam deſerunt, cujus acerbitate offenduntur.

Nam

a *Admonere lecturos*. Al. *lectores*.

b *Aut omnino non intelligent* [*hebetatur enim* &c. Al. *intellexerunt*: *aut non probabunt*

c *Acies earum terrenis cupiditatibus*. Al. *eorum a terrenis* &c.

d *Imbecilloſque*: Al. *imbecilleſque*

13

Nam qui avaritia, & opum inexplebili quadam [a] ſiti flagrant, quia non poſſunt, venditis, aut dilargitis [b], quæ amant, tenui cultu vitam degere, ſine dubio malunt id eſſe fictum, quo deſideriis ſuis renuntiare coguntur.

---

a *Nam qui avaritia, & opum inexplebili quadam ſiti*: ſic quam plurimi: At Bon., & Aldus: *quia avaritia .... quadam*, & Aldus pro *ineſplebili* legit: *inexplicabili*.

b *Aut di largitis*. Bon. *delargitis*. Al. *largitis*: Al. *elargitis*.

14

Item qui libidinum [a] ſtimulis incitati (ut ait poëta [b])

In furias, ignemque ruunt.

utique incredibilia nos afferre dicunt, quia vulnerant aures eorum præcepta continentiæ, quæ illos voluptatibus ſuis prohibent [c], quibus animam ſuam cum corpore adjudicaverunt. Qui

---

a *Libidinum*. Bon. *libidinis*.

b *Ut ait Poeta*: nempe Virgilius L. III. Georgicor. ℣. 244.

c *Voluptatibus ſuis proibent*, Al. præpoſitionem addunt

addunt: *a voluptatibus*. Aldus & Schottus legunt nobiſcum.

15

Qui autem ambitione [a] inflati, aut amore potentiæ inflammati, omne ſtudium ſuum ad honores acquirendos contulerunt, ne ſi ſolem quidem [b] ipſum geſtemus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ, quæ illos jubet, omni potentia, & honore contempto, humiles vivere, atque ita humiles, ut accipere injuriam poſſint, & referre nolint, ſi acceperint.

a *Qui vero ambitione*. Bon. *qui autem* &c. Schottus *qui ambitione* &c. lego cum pleriſque ob ea, quæ ſeg. ſequenti hatentur.

b *Ne ſi ſolem quidem*. Al. *nec ſi ſolem* &c.

16

Ii ſunt homines, qui contra veritatem clauſis oculis canino modo latrant [a]. Qui autem [b] ſani erunt [c], id eſt, non ita vitiis immerſi, ut

a *Clauſis oculis canino modo latrant*. Sic etiam Aldus, & Thomaſius. Al. *quoquo modo*. Canes noctu ſi ſtrepitum audiant, clauſis etiam oculis latrare vel ſomniantes, dicuntur.

b *Qui autem*: Ne hæc repetitio minus certam lectio-

ut inſanabiles ſint [d], & credent his, & libenter accedent, & quæcunque dicimus, aperta, plana, ſimplicia [e], &, quod maxime opus eſt, vera, & inexpugnabilia illis videbuntur.

ctionem redderet, iccirco ſegmento antecedenti præ- tuli; *qui vero* &c.

c *Sani erunt*. Al. *ſani ſunt*, *vel erunt*. Al. *ſanati erunt*.

d *Ut inſanabiles ſint*. Al. *ut ſanabiles non ſint*. Al. *ut inſanabiles non ſint*.

e *Aperta*, *plana*, *& ſimplicia*. Sic etiam Schottus. Al. *& aperta*, &c.

17

Nemo virtuti favet, niſi qui ſequi poteſt: ſequi autem, non facile eſt omnibus: ii poſſunt [a], quos paupertas, & rerum indigentia exercuit, & capaces virtutis effecit.

a *Ii poſſunt*: Bon., & Aldus: repetunt: *Sequi poſſunt*.

18

Nam ſi virtus eſt tolerantia malorum, non capiunt ergo virtutem, qui ſemper in bonis fuerunt [a]: quia mala neque experti ſunt,

a *In bonis fuerunt*. Al. *fuerint*.

Digitized by Google

ſunt, neque ferre poſſunt, aſſuetudine; ac deſiderio bonorum quæ ſola noverunt.

19

Eo fit, ut pauperes, & humiles Deo credant facilius, qui ſunt expediti: quam divites, qui ſunt impedimentis plurimis implicati, imo vero catenati [a], & compediti ſerviunt ad nutum dominæ cupiditatis [c], quæ illos inextricabilibus vinculis irretivit: nec poſſunt in cælum aſpicere, quoniam mens eorum in terram prona, humique defixa eſt.

a *Impedimentis pluribus implicati*. Al. *impedimentis ſuis*. Al. *impliciti*. Al. *pluribus*.
b *Immo vero catenati*. Sic etiam Aldus. Al. *imo vere*. Al. *imo catenati*.
c *Ad nutum dominæ cupiditatis*. Al. *cupiditati*.

20

Virtutis autem via non capit magna onera [a] geſtantes. Anguſtus admodum trames eſt, per quem juſtitia hominem deducit in cælum. Hunc tenere non poteſt, niſi qui fuerit [b] expeditus, & nudus.

Nam

a *Magna onera geſtantes*. Sic etiam Aldus. Al. cum Iſæo: *onera portantes*.
b *Niſi qui fuerit*. Bon. *niſi fuerit*.

21

Nam iſti locupletes multis, & ingentibus ſarcinis onerati, per viam mortis incedunt, quæ latiſſima eſt, quoniam late perditio [a] dominatur.

---

a *Quoniam late perditio* &c. Al. *quoniam lata* &c.

22

His acerba ſunt, his venena, quæ Deus [a] ad juſtitiam præcipit, quæque nos Dei magiſterio de virtute, ac veritate diſſerimus. Quibus ſi repugnare audebunt, neceſſe eſt, hoſtes ſe eſſe virtutis [b], juſtitiæque, fateantur.

---

a *His venena, quæ Deus .... præcipit*: Al. *venenata ... præcepit*. Aldus noſtram præfert lectionem.
b *Neceſſe eſt, hoſtes ſe eſſe virtutis*. Al. *hoſtes ſe neceſſe eſt virtutis* &c.

23

Aggrediar nunc [a], quod ſupereſt, ut finis operi poſſit imponi. Id autem ſupereſt, ut de Judicio Dei diſſeramus, quod tum con-

---

a *Aggrediar nunc*. Schottus. *Aggrediamur nunc*.

conſtituetur, quum Dominus noſter redierit in terram, ut unicuique pro merito aut præmium perſolvat, aut pœnam.

24

Itaque ut in quarto libro de primo adventu [a] ejus diximus, ſic in hoc ſecundum referemus [b] adventum, quem Judæi quoque [c] & confitentur, & ſperant, ſed fruſtra: quoniam neceſſe eſt, ad eos conſolandos revertatur, ad quos vocandos prius venerat.

---

a *Ut in quarto libro de primo adventu*. Iſæus: *de adventu*.

b *Referemus*. Schottus: *referam*. Al. *referamus*.

c *Quem Judæi quoque*. Non autem eo modo, quo deberent ſecundum oracula ſcripturarum, quibus jampridem veniſſe, demonſtramus, quod illi ſumma negant perfidia. Betulejus autem extra chorum ſaltans; *Hunc adventum*, inquit, *fides catholica ignorat. Expectamus enim non conſolatorem* [*Paracletum enim in die Pentecoſtes accepimus*] *ſed judicem, judicaturum viventes, & mortuos*: præteriens quod addi omnino debet, nempe, & præmia juſtis æterna, & pœnas impiis interminabiles daturum ſed forte is illa non ſperabat; & has ſolos timebat.

25

Nam qui violaverunt impie humilem, ſentient in poteſtate victorem: eaque omnia, quæ legunt, & non intelligunt, Deo rependen-

dente [a] patientur: quippe qui peccatis omnibus inquinati, & inſuper ſancto cruore perfuſi, ab illo ipſo, cui nefandas manus intulerunt, ſint ad æterna ſupplicia deſtinati.

a *Deo rependente* Sic Bon. & Aldus, Al. *compenſante*. Al. *repenſante*.

26

Sed erit nobis contra Judæos ſeparata materia, in qua illos erroris, & ſceleris revincemus [a].

a *Revincemus*. Sic etiam Aldus; Schottus vero *convincemus*, & caput iſtud producit uſque ad Tò *inſtruamus*.

CAP. II.

1

NUnc ignaros veritatis iſtruamus. Diſpoſitione ſummi Dei ſic ordinatum [a] eſt, ut injuſtum hoc ſæculum, decurſo temporum ſpatio, terminum ſumat, extinctaque protinus omni malitia, & piorum animis ad bea-

a *Ordinatum eſt*: Sic ex Schotto hunc lectionem reſtituo, quæ in aliis mutila eſt.

beatam vitam revocatis [b], quietum, tranquillum, pacificum, aureum denique (ut poëtæ vocant) ſæculum, Deo ipſo regnante, floreſcat [c].

---

b *Et piorum animis ad beatam vitam revocatis* &c. Lactantius quum Regnum Chriſti per mille annos in terris duraturum ante extremum judicii univerſalis diem cum pleriſque antiquioribus Eccleſiæ Patribus conſtituerit, heic de ſola juſtorum reſurrectione, quæ prima ab eo dicitur, locutus eſt, ut infra demonſtrabimus.

c *Floreſcat* Al. *refloreſcat*. Quaſi tempus illud rediturum eſſet, de quo Lib.V. Cap.V. a Seg.3. mentio facta eſt.

2

In primis cauſſa errorum omnium Philoſophis hæc fuit, quod rationem mundi, quæ totam [a] ſapientiam continet, non comprehenderunt.

---

a *Quod rationem mundi, quæ totam* &c. Bon. interſerit: *Filoſofi* per ſimplicem *f.* de more hanc vocem poſt primam ſcribendo.

3

Ea vero ſenſu proprio, & interna intelligentia [a] non poteſt comprehendi: quod illi

illi ſine doctore per ſeipſos [b] facere voluerunt: itaque in varias, ſibique ſæpe contrarias ſententias inciderunt, ex quibus exitum non haberent, & in eodem luto (ſicut comicus ait [c]) hæſitaverunt, ſcilicet aſſumptionibus eorum [d] non reſpondente ratione, quum aſſumpſiſſent quidem vera, ſed quæ affirmari, probarique non poſſent ſine ſcientia veritatis, rerumque cæleſtium, quæ (ut ſæpe jam dixi) non poteſt eſſe in homine, niſi Deo docente percepta.

---

a *Senſu proprio, & interna intelligentia*: Scilicet per diſcurſum acquiſita; pendet enim a divina revelatione, ut Cap. ſuperiori Seg.6., & 11. innuit. Confer dicta Lib.III. Cap.III. Seg.1. & Lib.IV. Cap.XXIV. Seg.3.

b *Per ſe ipſos*. Schottus, *per ſe ipſi*.

c *Sicut Comicus ait*: Nempe Terentius in Phorm. Act.V. Sc.II. ut Lib.II. Cap.VIII. Seg.24. annotavimus.

d *Aſſumptionibus eorum*. Heuman. exponit; *præſuppoſitionibus*. Sed, ut bene notat Bun., Ciceroni, & Quintiliano aſſumptio nihil aliud eſt, quam ea propoſitio, quæ in Sylogiſmis *minor* dicitur, & a Græcis λῆμμα appellatur, & interdum *aſſumptum* nuncupamus.

4

Nam ſi poteſt homo intelligere divina,

poterit & facere [a]: Nam intelligere, eſt quaſi e veſtigio ſubſequi. Non poteſt autem facere, quæ Deus, quia mortali corpore indutus eſt: ergo ne intelligere quidem poteſt, quæ fecit Deus. Quod an fieri poſſit [c], ex immenſitate rerum, atque operum divinorum, facile eſt unicuique metiri.

a *Poterit & facere*. Al. *poteſt & facere*.
b *E veſtigio ſubſequi*; Heum. *Puto*, inquit, *hoc eſſe gloſſema*: quare autem ſic judicaverit contra omnium Mss. vulgatorumq. fidem, dicet fortaſſe deinceps.
c *Quod an fieri poſſit...... metiri*. Bon. *Quodam fieri.... mentiri*. Aldus, & Schottus nobiſcum legunt. Al. *Quod autem fieri non poſſit* &c.

5

Nam ſi mundum cum omnibus, quæ ſunt in eo, contemplari velis, intelligas profecto [a], quantum Dei opus humanis operibus antiſtet [b]. Ita quantum inter opera divina, & humana intereſt, tantum diſtare inter Dei, hominiſque ſapientiam neceſſe eſt.

a *Intelligas profecto*; Sic etiam Schottus. Al. *intelliges*.
b *Antiſtet*; Al. *Ante ſtet*.

6

Nam quia Deus incorruptus, atque immor-

mortalis eſt, & ideo perfectus, quia ſempiternus eſt: ſapientia quoque ejus perinde, ut ipſe, perfecta eſt [a]: nec obſtare illi quicquam poteſt, quia nulli rei Deus ipſe ſubjectus eſt.

a *Ut ipſe, perfecta eſt*. Al. *ut ipſa*.

7

Homo autem, quia ſubjectus eſt paſſioni [a], ſubjecta eſt & ſapientia ejus errori: & ſicut hominis vitam multæ res impediunt, quo minus poſſit eſſe perpetua: ita ſapientiam quoque ejus multis rebus impediri neceſſe eſt, quo minus in perſpicienda penitus veritate, perfecta ſit.

a *Subjectus eſt paſſioni*. Schottus: *paſſione*: Al. *paſſionibus*.

8

Ergo nulla eſt humana ſapientia, ſi per ſe ad notionem veri, ſcientiamque nitatur, quoniam mens hominis cum fragili corpore illigata [a], & in tenebroſo domicilio incluſa, ne-

a *Cum fragili corpore illigata*. Walchius ſubintelli-

neque liberius evagari, neque clarius perſpicere veritatem poteſt, cujus notitia [b] divinæ conditionis eſt.

telligendum indicat *eſt*; Heum. & Bun. mallent; *fragili corpori*: quam lectionem equidem approbo, & dignam Lactantio eſſe exiſtimo, utpote qui nuſquam alibi eſt diverſo modo locutus, quamquam non raro verbum hocce adhibuerit, & in noſtro Ms. Codice ſæpe, *e*, & *i* promiſcue permutentur.

b *Cujus notitia*. Sic etiam Schottus, & Aldus. At Iſæus, & Al. *cujus notio*.

9

Deo enim ſoli opera ſua nota ſunt. Homo autem non cogitando, aut diſputando aſſequi eam poteſt [a], ſed diſcendo, & audiendo ab eo, qui ſcire ſolus poteſt, & docere.

a *Aſſequi eam poteſt*. Nempe veritatem omnium rerum a ſenſibus remotarum, quam doctrinam ſæpe noſter data opera inſinuare conatur, utpote homnibus valde neceſſariam, & utinam a novatoribus aliquando comprehenſam eſſe, noſcamus.

10

Ideo M. Tullius [a] ſententiam Socratis de

a *Marcus Tullius*; Nempe Lib.I. *Quæſt. Tuſc. ex Apol. Socrat.* apud Platonem Cap.XLI.

de Platone transferens dicentis, veniſſe tempus [b], ut ipſe migraret e vita: illos autem, apud quos cauſſam ſuam perorabat, agere vitam, *Utrum melius ſit*, inquit, *Dii immortales ſciunt*, *hominem arbitror* [c], *ſcire neminem*.

b *Veniſſe tempus* &c. Cicero ex perſono Socratis: *Sed tempus eſt*, inquit, *hinc abire me*, *ut moriar*; *vos*, *ut vitam agatis*.

c *Hominem*, *arbitror* &c. Sic etiam Aldus. Al. *hominem autem arbitror*.

11

Quare neceſſe eſt, omnes philoſophiæ ſectas, alienas eſſe a veritate, quia homines erant [a], qui eas conſtituerunt: nec ullum fundamentum, aut firmitatem poſſunt habere, quæ nullis divinarum vocum fulciuntur oraculis.

a *Quia homines erant*, *qui* &c. Al. *errant*. Al. *& errantes*.

CAP. III.

1

ET quoniam de Philoſophorum erroribus loquimur: Stoici naturam in duas par-

tes dividunt [a], unam, quæ efficiat, alteram, quæ ſe ad faciendum tractabilem præbeat. In illa prima eſſe vim ſentiendi, in hac materiam, nec alterum ſine altero poſſe [b]. Quo-

a *Stoici naturam in duas partes dividunt*. Iſæus; *in duas dividunt partes.* Vide Laertium L. VII. ſeg. 148. Cicero Lib. II. *de Nat. Deor.* ex Balbi perſona Stoicorum partibus ſtudioſa hanc diviſionem non recenſet, quam tamen veteri Academiæ tribuit *Lib. I. Quæſt. Acad.* inquiens: *de natura autem ita dicebant, ut eam dividerent in res duas, ut altera eſſet efficiens, altera autem quaſi huic ſe præbens, eaque efficeretur aliquid. In eo quod efficeret, vim eſſe cenſebant, in eo quod efficeretur, materiam quandam. In utroque tamen utrumque*. Revera tamen Stoici, & Academici, Deum formam mundi eſſe docentes, naturam integram in duas dividebant partes, ita connexas, ut illis eſſent inſolubiles, diſſolubiles iſtis viderentur, unde heic noſter addit: *nec alterum ſine altero poſſe*. Quibus opinionibus implicatus Spinoza, naturam *naturantem*, & *naturatam* male diſtinguens in *Scholio ad Propoſit. XXIX. Prima Part. Ethic.* in illam tandem aſſurdam, & impiam opinionem ivit, quam ſic expreſſit in *Scholio ad Lemma VII. II. Par. Et ſi ſic porro in infinitum pergamus, facile concipiemus, totam naturam unum eſſe individuum, cujus partes, hoc eſt, omnia corpora, infinitis modis veniant, abſque ulla totius individui mutatione*. Animum nunc adverte lector quanta vi, & argumentorum pondere hos omnes Lactantius protriverit.

b *Sine altero poſſe*. Al. *eſſe poſſe*. Et ſic Aldus, & Schottus.

2

Quomodo poteſt idem eſſe, quod tractat, & quod tractatur? Si quis dicat idem eſſe, figulum, quod lutum, aut lutum idem eſſe, quod figulum; nonne aperte inſanire videbitur [a]?

a *Inſanire videbitur*: Al. *videatur*?

3

At iſti uno naturæ nomine duas res diverſiſſimas comprehendunt, Deum, & mundum, artificem, & opus: dicuntque alterum ſine altero nihil poſſe, tanquam natura ſit Deus mundo permiſtus [a]. Nam interdum ſic confundunt, ut ſit Deus ipſe mens mundi, & mundus ſit corpus Dei [b]. Quaſi vero ſimul eſſe cæperint mundus, & Deus, ac non ipſe mundum fecerit.

a *Deus mundo permiſtus*. Al. *terminatus*. Vide ad Lib.I. Cap.V.

b *Et mundus ſit Corpus Dei*. De Zenone hoc docente Vide Epiph. Lib. III. Hær. Laertium L. VII. a Seg.137. ſeq. Platon. in *Timæo*. quæ iis quæ ſequuntur facem præferunt. Adde dicta ad Lib.II. Cap.v. Seg.7.

4

Quod & ipſi fatentur [a] alias, quum ho-

minum cauſa prædicant eſſe fabricatum, & ſine mundo eſſe, ſi velit, poſſit: ſiquidem Deus eſt divina & æterna mens, corpore ſoluta, & libera, [b] cujus vim, majeſtatemque quoniam intelligere non poterant, miſcuerunt eum mundo, id eſt operi ſuo.

a *Quod & ipſi fatentur alias.* Vide Plin. in Prooem. Lib. xxxvi. H.N.
b *Siquidem Deus eſt divina, & æterna mens, a corpore ſoluta, & libera*: Bon. & Aldus, *quidem Deus divina, & æterna mens dicatur, corpore ſoluta* &c. Al. *divina mens, & æterna, & corpore ſoluta*. Reſpicit ad Ciceronis ſententiam ab ſe laudatam Lib. I. Cap. V. ſeg. 25.

5

Unde eſt illud Virgilianum [a]:
. . . . . *Totamque infuſa per artus.*
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

a *Unde eſt illud Virgilianum*. Nempe ex aen. Lib. vi. ℣. 726. ubi ſupra ab eodem Lactantio integre recitatum.

6

Ubi eſt ergo illud, quod iidem ipſi ajunt, & factum eſſe divina providentia, & regi?

regi? Si enim fecit mundum, fuit ergo ſine mundo. Si regit, non utique ſicut mens corpus regit, ſed tanquam dominus domum, navim gubernator [a], auriga currum. Nec tamen [b] miſti ſunt iis rebus, quas regunt.

a *Navim Gubernator*. Al. *navimque*: Aldus nobiſcum legit.

b *Nec tamen .... quas regunt*: Hæc omnia habet Heuman. de more pro gloſſemate nulla tamen ratione reddita.

7

Nam ſi hæc omnia, quæ videmus, Dei membra ſunt, jam inſenſibilis ab his conſtituetur [a] Deus, quoniam membra ſenſu carent: & mortalis [b] quoniam videmus membra eſſe mortalia.

a *Ab his conſtituetur*. Al. *conſtituitur*.

b *Et mortalis*. Sic etiam Aldus. Al. addunt: *eſt*,

8

Poſſum enumerare, quoties repentinis quaſſatæ motibus, vel hiaverunt terræ, vel deſederint in abruptum [a], quoties demerſæ

a *Vel deſederint in abruptum*. Bon. *deſierint*. Iſæus *deſcenderint*. Aldus, & Schottus noſtram Lectionem præferunt.

ſæ fluctibus & urbes, & inſulæ abierint [b] in profundum, frugiferos [c] campos paludes inundaverint, flumina, & ſtagna ſiccaverint[d], montes etiam vel deciderint abrupti, vel planis fuerint adæquati, plurimas regiones, & multorum fundamenta montium, latens & internus ignis abſumpſit [e].

b *Abierint*. Bon. *abjerunt*.

c *Frugiferos*. Bon. *fructiferos*.

d *Siccaverint*: Schottus, f. inquit, *ſiccata*. *Sunt* exempla quamplurima ex Apicii Lib. *de Arte Coquin* Sparckio, inſolens, & Langletio inaudita viſa eſt hæc locutio, quibus Bunemannus, ait, ignotum fuiſſe, activa verba paſſive interdum uſurpari, afferens inter alia etiam illud ex Catone *de re Ruſtica* cap. 112. *Ubi pluerit, & ſiccaverit, deligito*, ubi Sparck. & Walch. ex conjectura: *ſicca aruerint*, legunt.

e *Et internus ignis abſumpſit*. Al. *abſumit*. Fulvius Urſinus mallet; *aſſumpſerit*.

9

Et hoc parum eſt, ſi membris ſuis non parcit Deus, niſi etiam homini liceat aliquid in Dei corpus [a]: maria extruuntur [b], montes

a *Liceat aliquid in Dei corpus*. Al. *liceat aliquid videri corpus*. f. *aliquid moliri* &c.

b *Maria extruuntur*: Bon. *Materia extruuntur*. Plin.

tes exciduntur, & ad eruendas opes, interiora terræ viſcera effodiuntur. Quid? quod ne arari quidem ſine laceratione divini corporis [c] poteſt? ut jam ſcelerati, & impii ſimus, qui Dei membra violemus.

Plin. Lib.V. Cap.XIX. *Tyrus quondam Inſula, prealto Mari ſeptingentis paſſibus diviſa, nunc vero Alexandri oppugnantis operibus, continens*: Vide Q. Curtium Lib.IV. Arrian. Lib.II. Diod. Lib.XVII. Unde Ovidius Lib.XV. Metamorph. pag. 561. a ℣. 5. ait:

Vidi ego, quod fuerat quondam ſolidiſſima tellus,
Eſſe fretum. Vidi factas ex æquore terras,
Et procul a pelago conchæ jacuere marinæ,
Et vetus inventa eſt in montibus anchora ſummis.

c *Divini corporis poteſt? ut jam ſcelerati, & impii* Bon. *non poteſt? ut etiam .... atque* &c.

§ 10 §

Patitur ne ergo vexari corpus ſuum Deus, & debile ſe vel ipſe facere [a], vel ab homine fieri ſinit? niſi forte divinus ille ſenſus, qui mundo, & omnibus mundi partibus permiſtus eſt, *primam terræ faciem* [b] reliquit, ac ſe in ima demerſit, ne quid doloris de aſſidua laceratione ſentiret. Quod

a *Vel ipſe facere*: Al. *faceret*. Al. *redderet* Heum. & Bun. mallent *facit*.

b *Primam terræ faciem* Schottus: *ſuperficiem*. Walchius: *terræ aciem*. In noſtro Codice Bon. *ſuperficiem* potius, quam *faciem* mihi videtur, ſcriptum eſſe.

11

Quod ſi hoc vanum, & abſurdum eſt; tam igitur ipſi eguerunt, quam hæc indigent ſenſu, qui non perſpexerunt, divinum quidem ſpiritum eſſe ubique diffuſum, eoque omnia contineri; non tamen ita, ut [a] Deus ipſe, qui eſt incorruptus, gravibus, & corruptibilibus elementis miſceatur.

a *Non tamen ita, ut*: Bon. *non tamen, ut*.

12

Illud ergo rectius, quod à Platone ſumpſerunt, à Deo factum eſſe mundum, & ejuſdem providentia gubernari. Oportebat igitur & Platonem, & eos, qui idem [a] ſenſerunt, docere, atque explicare, quæ cauſſa, quæ ratio fuerit tanti operis fabricandi; quare hoc, aut cujus gratia fecerit?

a *Qui idem*. Bon. *qui eadem*.

13

At iidem Stoici, *Hominum*, inquiunt, *cauſſa mundus effectus eſt*. Audio. Sed Epicurus ignorat, ipſos homines quare, aut quis

quis effecerit. Nam Lucretius [a], quum mundum diceret a Diis [b] non eſſe conſtitutum, ſic ait [c]:

Dicere porro hominum cauſſa voluiſſe
parare
Præclaram mundi naturam

Deinde intulit,

Deſipere eſt, quid enim mortalibus,
atque beatis
Gratia noſtra queat largirier emolumenti,
Ut noſtra quicquam cauſſa gerere aggrediantur?

---

a *Nam Lucretius*. Nempe ℣.156. Lib.V.

b *Quum diceret mundum non eſſe a Diis*; Al. *non eſſe aliis, ait*. Al. *a Diis conſtitutum, ſic ait*: Schottus ordinem verborum immutat.

c *Deinde intulit*. I. E. ℣.166. ejuſdem libri.

14

Et merito. Illi enim nullam rationem afferebant, cur humanum genus vel creatum, vel conſtitutum eſſet a Deo. Noſtrum hoc officium eſt, ſacramentum mundi [a], & hominis exponere, cujus illi expertes, ſacrarium veritatis nec attingere, nec videre potuerunt. Ergo

---

a *Sacramentum mundi*: Vide ſupra ad Cap.II. Seg.2. & *myſterium mundi* infra Cap.VI. Seg.2.

15

Ergo (ut paullo ante dicebam) quum aſſumpſiſſent id , quod erat verum , id eſt , mundum a Deo hominum caſſa eſſe factum [a]; tamen , quoniam eos in conſequentibus ratio defecit , non potuerunt defendere id , quod aſſumpſerant .

a *Mundum a Deo hominum cauſſa eſſe factum* : Al. *Mundum a Deo factum , & hominum cauſſa eſſe factum.*

16

Denique Plato [a] , ne Dei opus imbecillum , & ruinoſum faceret , in æternum dixit eſſe manſurum . Si hominum cauſſa factus eſt , & ita factus eſt , ut eſſet æternus : cur ergo ipſi , quorum cauſſa factus eſt , non ſunt ſempiterni ? Si mortales , propter quos factus eſt , ergo & ipſe mortalis [b] atque ſolubilis . Neque enim pluris eſt ipſe , quam ii , quorum gratia factus eſt ,

Quod

a *Denique Plato* . Scilicet in *Timæo* .

b *Ergo & ipſe mortalis* . Cicer. Lib.I. *de Nat. Deor. Cur mortalem fecerit mundum : non quemadmodum Platonicus Deus , ſempiternum ?* Vide Minuc. Felic. in *Octavio* Cap.xxxiv. Addit enim , ita Platonem mundum putaſſe inſolubilem , ut *ipſi artifici Deo ſoli & ſolubilem , & mortalem* eſſe aſſereret .

17

Quod ſi ei ratio quadraret [a], intelligeret periturum eſſe [b], quia factus eſt: nec poſſe in æternum manere, niſi quod tangi non poteſt [c].

a *Quod ſi ei ratio quadraret*: Servo hanc lectionem, quæ omnium fere eſt, quamquam Tò *ei* in noſtro Bon. Cod. deſideretur. Bun. notat, quod etiam in Lipſ. Ms. Cod. 2. hocce pronomen omiſſum eſt, & addit. *Neſcio, quid Heumanno venerit in mentem, quum verba hujus loci* ad Lib. V. Seg. 2. *Ratio mundo non quadrat*, exponat: *mundus non eſt capax rationis*. Equidem in Heumanni editione, nihil tale reperio loco cit. Sed infra Lib. VII. Cap. V.

b *Periturum eſſe*; Heum. *ſe eſſe*. Quod quidem pronomen Bun. aſſertum indicare videtur, quaſi pro Platone, mundum intellexiſſet Heumannus, ut revera intellexit.

c *Niſi quod tangi non poteſt*: Bon. negationem omittit. Heum. negat hæc verba eſſe Lactantii, ſed gratis, de more.

18

Qui autem negat hominum cauſſa factum, hic nullam rationem tenet. Si enim dicit, ipſum fabricatorem ſua cauſſa tanta hæc opera eſſe molitum [a], cur ergo nos nati ſu-

a *Sua cauſſa, tanta hæc opera eſſe molitum*. Sic etiam Aldus; Al. *tantum* Al. *ſui cauſſa*.

ſumus ? Cur mundo ipſo fruimur ? Quid ſibi vult humani generis, cæterorumque [b] animantium fictio ? Cur aliena commoda intercipimus ? Cur denique augemur, minuimur, interimus?

---

b *Cæterorumque*: Heum. *mutarem*, inquit, *in cæterarum*, *niſi ſupra quoque Lib. II. Cap. XI.* 2. *Noſter dixiſſet*: *Animantes nutritos*. Bunem. bene obſervat ſumi poſſe in utroque genere, exemplo Ciceronis.

19

Quid habet rationis ipſa generatio? quid perpetua ſucceſſio? *Nimirum videre Deus nos voluit* [a], *& ſuis variis imaginibus* [b], *tanquam ſigilla confingere*, *quibus ſe oblectaret*; & nihilominus [c] tamen, ſi ita eſſet, curæ haberet animantes præcipueque hominem, cujus imperio cuncta ſubjecit.

Qui

---

a *Nimirum videre nos Deus voluit*. Bon. *videre vos*. Al. utramque vocem delent. Heum. probat: *videri Deus voluit*, ut quidam legunt. Nos Aldi lectionem ſequimur, & verba hæc diverſo charactere ſcripſimus, quia punctis diſtincta in quibuſdam antiquis membranis reperta ſunt.

b *Et ſuis variis ſigillis*: Heum. *& ſui*.

c *Et nihilominus*. Heum. *ut nihilominus*.

Digitized by Google

20

Qui autem dicunt *ſemper fuiſſe mundum*; omitto illud, quod eſſe ipſum ſine aliquo principio non poteſt [a], unde ſe extricare nequeunt: ſed hoc dico, ſi mundus ſemper fuit, nullam poteſt habere rationem [b].

a *Omitto illud, quod eſſe ipſum ſine aliquo principio non poteſt*. Bon. *omitto illum, quod* &c. Schottus repetit *eſſe* ante *non poteſt*. Al. *quod eſſe ipſe* &c.
b *Nullam poteſt habere rationem*: Intellige, nullum ordinem a ratione opificis procedentem.

21

Quid enim potuit in eo ratio moliri, quod nunquam ſumpſit exordium? Nam prius, quam fiat aliquid, aut ſtruatur [b], opus eſt conſilio, ut diſponi poſſit, quemadmodum fiat: nec incipi quicquam poteſt, ſine proviſione rationis.

a Sic etiam Aldus reſtituit. Al. *Qui enim*. Al. *quomodo enim*.
b *Aut ſtruatur*: Sic omnes, quos vidi, præter Bon. in quo habetur; *iſtruatur*.

22

Itaque omne opus ratio præcedit. Non ha-

habet ergo rationem, quod factum non eſt. Atqui mundus rationem habet [a], qua & conſtat, & regitur; ergo & factus eſt. Si factus eſt, & reſolvetur [b].

a *Atqui mundus rationem habet*. Heic potius Heumanni verba Seg.17. a Bunemanno laudata quadrarent; ſed quiſque videt, hoc exponendum eſſe, ut Seg.20. diximus.

b *Si factus eſt, & reſolvetur*. Iſæus ſolvetur. Al. hiſce verbis carent. Al. copulam iis præmittunt. Al. addunt: *ergo & reſolvetur*,

23

Reddant ergo iſti rationem ſi poſſunt, cur aut factus in principio ſit, aut poſtea reſolvetur. Quod quia docere [a] non poterat Epicurus, ſive Democritus, ſua ſponte natum eſſe dixit, ſeminibus inter ſe paſſim coëuntibus, quibus iterum reſolutis, diſcidium [b], atque interitum ſecuturum.

a *Quod quia docere*. Al. *dicere*.

b *Diſcidium*. Sic meliores omnes. Al. *diſſidium*.

24

Corrupit ergo, quod recte viderat, & totam rationem penitus ignorantia rationis evertit: redegitque mundum, & omnia, quæ

quæ in eo geruntur, ad ſimilitudinem cujuſdam vaniſſimi ſomnii [a], ſi quidem rebus humanis ratio nulla ſubſiſtat [b],

a *Somnii*. Bon., & alii quidam: *ſomni*.
b *Si quidem rebus humanis ratio nulla ſubſiſtat*. Al. *ſubſiſtit*. Al. *ſubſtat*.

25

Quum vero mundum, omneſque partes ejus quemadmodum videmus [a], vitæ mirabilis ratio gubernet, quum cæli temperatio [b] & æqualis in ipſa varietate curſus aſtrorum, luminumque cæleſtium; temporum conſtans, ac mira deſcriptio; terrarum varia fœcunditas, plana camporum munimenta, & aggeres montium, viriditas, ubertaſque ſylvarum, fontium ſaluberrima eruptio, fluminum opportuna inundatio, maris opulenta, & copioſa interfuſio, ventorum diverſa

 & uti-

a *Quum vero mundum, omneſque partes ejus quemadmodum videmus, vitæ mirabilis ratio gubernet.* Hæc lectio eſt genuina utriuſque Bon. antiquioris Ms. Cod., quam neſcio quare Iſæus, & Tomaſius non integre ſervaverint; optime enim cum ſequentibus omnia congruunt. Al. *ut videamus* &c. Al. Tò *vitæ* omittunt.
b *Temperatio*. Al. *temperies*. Al. *temperantia*. Lectio noſtra Ciceroniana eſt.

& utilis aſpiratio, cæteraque omnia ratione ſumma conſtent: quis tam cœcus eſt, ut exiſtimet ſine cauſſa eſſe facta, in quibus mira diſpoſitio providentiſſimæ rationis elucet?

26

Si ergo ſine cauſſa [a] nec eſt, nec fit omnino quicquam: ſi & providentia ſummi Dei ex diſpoſitione rerum, & virtus ex magnitudine, & poteſtas ex gubernatione manifeſta eſt, hebetes ergo, & inſani, qui providentiam non eſſe dixerunt. Non improbarem, ſi Deos iccirco non eſſe dicerent, ut unum dicerent: quum autem ideo, ut nullum, qui eos deliraſſe non putat, ipſe delirat.

a *Si ergo ſine cauſſa*. Colligit, ſimul, & confirmat, quæ heic & alibi de providentia adverſus Atheos evincit.

C A P. I V.

1

Sed de providentia ſatis in primo libro diximus, quæ ſi eſt [a], ut apparet, ex mi-

a *Quæ ſi eſt*: Sic nobiſcum fere omnes, ubi Bon., & Schottus: *Quia ut ſi eſt*. Al. *quia ſi eſt*.

mirabilitate operum ſuorum, neceſſe eſt etiam hominem, cæteroſque animantes eadem providentia creaverit [b].

b *Eadem providentia creaverit*; Iſæus: *creavit*.

2

Videamus ergo, quæ ratio fuerit fingendi generis humani, quoniam conſtat, id quod Stoici ajunt [a], hominum cauſſa mundum eſſe fabricatum: quamquam in hoc ipſo non mediocriter peccent, quod non hominis cauſſa dicunt, ſed hominum. Unius enim ſingularis appellatio totum comprehendit humanum genus.

a *Id, quod Stoici ajunt*: apud Ciceron. *in Lucullo*, ut infra Seg. 2. Al. *quod Stoici dicunt*.

3

Sed hoc ideo, quia ignorant unum hominem a Deo eſſe formatum, putantque homines in omnibus terris, & agris, tanquam fungos eſſe generatos [a]. At Hermes [b] non

 igno-

a *Tamquam fungos eſſe generatos*. Tò *eſſe* in Bon. deſideratur. Vide dicta L. II. cap. XII., & L. VI. cap: X. ſeg. 12. ubi ſimilia expenduntur.

b *Hermes* ſcilicet in Pimandro.

ignoravit hominem & a Deo, & ad Dei ſimilirudinem fictum [c]. Sed redeo ad propoſitum.

---

c *Similitudinem fictum*. Al. *factum*: Verba non ſemel commutata.

4

Nihil eſt(ut opinor)quod ſit propter ſeipſum factum: ſed quicquid omnino fit, ad uſum aliquem fieri neceſſe eſt. Quis eſt enim vel tam ineptus, vel tam otioſus, ut aggrediatur aliquid facere [a] fruſtra, ex quo nullam utilitatem, nullum commodum ſperet?

---

a *Aliquid facere*. Iſæus: *facere aliquid*.

5

Qui domum [a] ædificat, non iccirco ædificat, ut tantummodo domus ſit, ſed ut in ea poſſit habitari. Qui navem fabricat, non ideo inſumit operam [b], ut tantum navis appareat, ſed ut in ea navigetur.

Item

---

a *Qui domum .... non iccirco*. Al. *ſi qui domum* &c. Al. *non ideo* &c.

b *Inſumit operam*. Al. *aſſumit*.

6

Item qui vas aliquod inſtituit [a], ac format, non propterea id faciet, ut tantum feciſſe videatur, ſed, ut vas illud effectum, capiat aliquod neceſſarium; ſimiliter cætera, quæcumque fiunt, non utique in ſupervacuum, ſed ad uſus aliquos utiles [b] laborantur.

a *Vas aliquod inſtituit*. Al. *inſtruit*. Al. *inſtaurat*.
b *Ad uſus aliquos utiles*. Poſtrema hæc vox in quibuſdam deſideratur.

7

Mundus igitur a Deo [a] factus eſt, non utique propter ipſum mundum: neque enim aut calore Solis, aut lumine [b], aut aſpiratione ventorum, aut humore imbrium, aut alimonia frugum [c], quum ſenſu careat, indiget. C 4 Sed

a *Mundus igitur a Deo*. Schottus. *Mundus igitur ideo*.

b *Aut lumine*. Bon. *aut lunæ*. Al. *lunæ lumine*, quæ lectio mihi ſemper placuit, quamquam in ſolis quibuſdam prelo editis invenerim, Heumanno plaudente. Aldus noſtram retinet lectionem.

c *Alimonia frugum*. Walchius hanc vocem paſſim occurrere ait in fœminino, quod negat Heum; ſed bene probat Bunem. adductis exemplis, quæ tamen ſuperflua ſunt, quum in omnibus lexicis habeantur

8

Sed ne illud quidem[a] dici poteſt, quod Deus propter ſeipſum fecerit mundum, quoniam poteſt eſſe ſine mundo, ſicut fuit antea, & iis omnibus, quæ in eo ſunt, quæque generantur, Deus ipſe non utitur[b].

---

a *Sed ne illud quidem*: Gallæus ait: Imo hoc dici debere patet ex Prov. cap.XVI. ubi ℣. 4. legitur: *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*: Quod tamen quiſque videt, intelligendum eſſe propter gloriam, non propter uſum, ac inſtitutionem, de quibus heic Lactantius loquitur; & quidem ſecundum hanc ſignificationem eſt Apoſtoli doctrina 1. ad Corinth. c. III. ℣. 22. *Omnia enim veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, ſive Mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura: omnia enim veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.*

b *Deus ipſe non utitur*: Scilicet in ſui gratiam, & ad ſuam utilitatem; ut bene heic Walchius annotavit.

9

Apparet ergo, animantium cauſſa mundum eſſe conſtructum, quoniam rebus iis, quibus conſtat, animantes fruuntur: quæ ut vivere, & conſtare poſſent[a], omnia his neceſſaria temporibus certis ſubminiſtrantur. Rur-

---

a *Et conſtare poſſent*: Al. *ut conteſtare*.

10

Rurſus cæteras animantes hominis cauſſa eſſe fictas [a], ex eo clarum eſt, quod homini ſerviunt, & tutelæ ejus, atque uſibus data ſunt [b] quoniam ſive terrenæ ſunt, ſive aquatiles, non ſentiunt mundi rationem, ſicut homo.

---

a *Eſſe fictas*. Al. *fictos*. Al. *factas*.
b *Et tutelæ ejus, atque uſibus datæ ſunt*: Al. *dati ſunt*: Heum. marte ſuo *dicatæ ſunt*.

11

Reſpondendum eſt hoc loco Philoſophis, maximeque Ciceroni, qui ait [a]: *Cur Deus omnia noſtri cauſſa quum faceret, tantam vim natricum, viperarumque fecerit? Cur tam multa peſtifera* [b] *terra, marique diſperſerit* [c]? *In-*

---

a *Ciceroni, qui ait*: Nempe in *Lucullo*, ut ſupra monuimus; ſive Lib. IV. cap. XXXIV. *Quæſt. Academ.*
b *Cur tam multa peſtifera*. Variant hæ voces in editis Ciceronianis: ſed eadem eſt ſententia, quam Theodoro atheo idem Lactantius tribuit in Epitome; illique non ſolum ipſe heic, & c. XIII. de *Ira Dei* reſpondet; ſed etiam S. Baſilius Hom. VIII. *in Hexam.* S. Auguſt. L. I. de *Gen. ad litt.* cap. XVI. Alii qui

qui plurimi, qui vel contra Atheos, vel contra Manicheos ſcripſerunt. Vide Diſſ. noſtram XXIX. c. VII. §. XIII. ſeq.

c *Cur tam multá*. Bon. *Cur tamen multa*: Lucretius etiam L. V. ℣. 1. ait:

Præterea genus horriferum natura ferarum
Humanæ genti infeſtum, terraque, marique
Cur alit, atque auget?

§. 12

Ingens ad diſputandum locus, ſed ut in tranſcurſu breviter ſtringendus eſt[a]. Quoniam homo ex rebus diverſis, ac repugnantibus configuratus eſt, anima & corpore[b], id eſt, cælo, atque terra, tenui & comprehenſibili, æterno, ac temporali, ſenſibili, atque bruto, luce prædito, atque tenebroſo: ipſa ratio, ac neceſſitas exigebat[c], & bona ho-

a *Breviter ſtringendus eſt*: Fuſius enim ad c. XIII. de *Ira Dei* hæc quæſtio pertranda erat, ad quem locum videndum lectorem invitamus.

b *Configuratus eſt*, *anima*, & *corpore*: *id eſt* &c. Al. *animo*, & *corpore*. De iis vide dicta ad Lib. II. cap. VIII. ſeq. Al. *figuratus eſt*.

c *Ipſa ratio*, & *neceſſitas exigebat* &c. Homo enim ad præmium æternum ſibi adipiſcendum natus, ex contrariis ab opifice ſuo compactus iccirco eſt, ut pugnando vincat, & poſt victoriam coronetur.

homini proponi ; & mala : bona, quibus utatur : mala, quæ vitet, & caveat.

13

Iccirco enim data eſt illi ſapientia, ut cognita bonorum, malorumque natura, & in appetendis bonis, & in malis declinandis, vim ſuæ rationis exerceat [a]. Nam cæteris animalibus, quia ſapientia data non eſt, & munita indumentis naturalibus, & armata ſunt; homini autem pro his omnibus, quod erat præcipuum, rationem ſolam dedit [b].

a *Vim ſuæ rationis exerceat*. Sapientia ſcilicet divina docente, & opitulante, & unicuique neceſſaria ad ſui tutelam exhibente.

b *Rationem ſolum dedit*. Iſæus: *rationem dedit ſolum*: Intellige loco naturalium præſidiorum, quibus animalia muta donavit. Ut libro de *Opif. Dei*: Noſter luculenter docuit. Al. *rationem dedit ſuam*.

14

Itaque nudum formavit [a], & inermem, ut eum ſapientia & muniret, & tegeret [b]. Munimen-

a *Itaque nudum formavit*. Al. *ſolum itaque nudum*.

b *Tegeret*. Schottus: *regeret*.

menta, & ornatum [c] ejus non foris, ſed intus, non in corpore, ſed in corde conſtituit. Niſi ergo eſſent mala, quæ caveret, quæ a bonis, utilibuſque diſtingueret, non eſſet ei ſapientia neceſſaria.

---

c *Munimenta, & ornatum*. Al. *munimenta, & ornamentum*. Al. *& ornamenta*. Al. *Et igitur munimenta* &c.

15

Sciat ergo M. Tullius, aut ideo [a] datam homini eſſe rationem, ut & piſces caperet uſus ſui gratia, & natrices, viperaſque vitaret ſalutis ſuæ cauſſa: aut iccirco ei bona, malaque propoſita, quia ſapientiam acceperat, cujus vis omnis [b] in diſcernendis bonis, maliſque verſatur.

---

a *Aut ideo ..., aut iccirco*: Duplicem rationem reddit, quarum utraque in Opifice noſtro Deo providentiam oſtendit, & ora oblatrantium obſtruit atheorum.
b *Cujus vis omnis*. Bon. *omnibus*.

16

Magna igitur [a], & recta, & admirabilis

---

a *Magna igitur*. Schottus: magna ergo.

lis eſt vis, & ratio, & poteſtas hominis, propter quem, mundum ipſum, & univerſa, quæcumque ſunt, Deus fecit; tantumque illi honoris [b] habuit, ut eum præficeret univerſis, quoniam ſolus poterat Dei opera mirari.

---

b *Tantumque illi honoris habuit*. Schottus: *tribuit*. Al. *attribuit*.

17

Optime igitur Aſclepiades noſter [a] de providentia ſummi Dei diſſerens, in eo libro, quem ſcripſit ad me; *Atque ideo*, inquit, *meritò quis arbitretur, proximum ſibi locum divinam providentiam dediſſe ei, qui potuerit* [b] *intelligere ordinationem ſuam*.

---

a *Aſclepiades noſter*, De eo diximus Diſſ. XVI. cap.I. §.IV.

b *Qui potuerit*: Schottus: *qui potuit*.

18

Nam ſol iſte eſt: quis eum videt ita, ut intelligat, quia ſol eſt, & quantum gratiæ afferat cæteris inſtitutis? hoc cælum eſt, quis id ſuſpicit [a]*? terra hæc, quis eam colit? hoc pe-*

---

a *Quis ſuſpicit?* Al. *ſuſcipit?* Al. *ſuſpiciat?*

pelagus, quis in eo navigat[b]*? hic ignis eſt*[c]*, quis eo utitur*[d]*?*

b *Quis in eo navigat?* Bon. *quis navigat?* Al. *quis eum navigat?*
c *Hic ignis eſt; quis eo utitur*. Ex eo, quod inter animantes ſolus homo igne utatur, noſter intulit animæ noſtræ immortalitatem, L. VII. Cap. IX. ſeg. 13.
d *Nihilo eget*. Al. *indiget*.

19

Inſtituit ergo ſummus Deus non propter ſe, quia nihilo eget, ſed propter hominem, qui his congruenter uteretur.

C A P. V.

1

Reddamns nunc rationem, quare hominem ipſum fecerit, quod ſi Philoſophi ſciſſent[a], aut defendiſſent illa, quæ vera invenerant: aut in maximos[b] errores non incidiſſent.

a *Quod ſi Philoſophi ſeiſſent*. Al. *feciſſent*. Al. *efficere potuiſſent*.
b *Aut in maximos*. Schottus. *in proximos*.

2

Hæc enim ſumma, hic cardo rerum eſt: quem

quem, qui non tenuerit, veritas illi omnis elabitur. Hoc eſt denique, quod efficiat, illis non quadrare rationem [a], quæ illis ſi affulſiſſet [b], ſi ſacramentum hominis [c] omne cogno-

a *Hoc eſt denique, quod efficiat, illis non quadrare rationem*. Heuman. *Gloſſema*, inquit, *in quo abſurde uſurpatur phraſis* cap. III. 16. occurrens: *ratio mundo non quadrat. hoc eſt, mundus non eſt capax rationis*. Hic eſt locus, quem errore typographico male indicatum diximus apud Bunem. cap. III. ſeg. 17. ubi Lactantius non dicit: *rationem quadrare*; ſed pronomine uſus ait: *Quod ſi ei ratio quadraret*: Nempe Platoni, qui dixerat: opus Dei æternum eſſe manſurum, de mundo loquens. Unde & ibi, & heic merito a Bunem. reprehenditur, atque tam ex iis, quæ ibidem noſter docuit, quam ex his, quæ heic, & alibi tradidit, oſtendit, congruere hæc omnia invicem, neque abſurde eſſe ab authore, aut a ſcholiaſte ignaro prolata.

b *Quæ ſi illis affulſiſſet*: Scilicet *ratio*: Non *veritas*, ut putavit Heumannus. Nam mens Lactantii erat oſtendere, quam incongrue Plato, & alii philoſophi de mundi origine, & indiſſolubilitate diſputarent, quum propter homines quidem dicerent, factum eſſe; neſcirent tamen eam quæſtionem diſſolvere: quare ergo pereuntibus hominibus, propter quos mundus factus eſt, is non perit? Aut quare perſeverante mundo, qui propter homines factus eſt, & ipſi homines cum eo, ac in eo eſſe non perſeverant? Ratio ab iis data, neque ipſis quadrabat, & hinc omnis philoſophia pagana ſuis armis jugulatur ob

gnoviſſent; numquam diſputationes eorum, & omnem Philoſophiam de tranſverſo Academia ingulaſſet [d]

ob ignorantiam revelationis, quæ propterea omnibus neceſſaria eſt illis, qui veritatem inquirunt, ne ea ſepoſita, quemadmodum fieri mallent naturaliſtæ, in errores illorum iterum homines ducantur inconſulti, ſuæque conditionis ignari.

c *Si ſacramentum hominis*. Sæpe de hac phraſi locuti ſumus; neque heic neceſſe eſt aliud addere, niſi quod author reſpicere videtur non ſolam hominis productionem ethnicis ignotam; verum etiam finem, propter quem a Deo creatus eſt.

d *Academia jugulaſſet*: De omnibus ſcilicet dubitando, ut moris fuit omnibus hanc ſectam ſequentibus.

3

Sicut ergo mundum non propter ſe Deus fecit, quia commodis ejus non indiget, ſed propter hominem, qui eo utitur; ita ipſum hominem propter ſe [a].

a *Ita ipſum hominem propter ſe*. Hoc ex Apoſt. verbis jam ſuperius demonſtravimus.

4

Quæ utilitas Deo in homine, inquit Epicurus [a], *ut eum propter ſe faceret?* Scilicet

licet, ut eſſet,qui opera ejus intelligeret,qui providentiam diſponendi, rationem faciendi,virtutem conſummandi, & ſenſu admirari, & voce proloqui poſſet. Quorum omnium ſumma hæc eſt, ut Deum colat [b].

a *inquit Epicurus*: Cujus ſenſa illis verſibus expreſſit Lucretius Lib. v. a ℣. 166. quos Noſter ſuperius recitavit cap. III. ſeg. 13.

b *Ut Deum colat*. Sic Lib. v. cap. xiv. ſeg. 12.

5

Is enim colit, qui hæc intelligit: is artificem omnium rerum; is verum patrem ſuum debita veneratione proſequitur [a], qui virtutem majeſtatis ejus de ſuorum operum inventione, inceptione, perfectione metitur.

a *Debita veneratione proſequitur*. Veneratio enim, & cultus ei debetur, qui ob naturæ excellentiam, atque eminentiam virtutis, poteſtatiſque præcellit.

6

Quod planius argumentum proferri poteſt, & mundum hominis, & hominem ſua cauſſa [a] Deum feciſſe,quam quod ex omnibus

a *Sua cauſſa*. Al. *ſui cauſſa*: Eodem ſenſu, ut ſupra annotavimus; vult enim heic Noſter innuere, quo-

animalibus ſolus ita formatus eſt, ut oculi ejus ad cælum directi [b], facies ad Deum ſpectans, vultus cum ſuo parente communis ſit, videaturque hominem Deus, quaſi porrecta manu, allevatum ex humo, ad contemplationem ſui excitaſſe [c].

---

quomodo amor ille divinus, quo Deus ſe ipſum amat, bonum ſuum rationalibus creaturis participat, ut eas ad ſe trahat, ac cum illis ſecundum earundem capacitatem ſe communicet: Nam ut inquit Popius Epiſt. IV. *de Natura, & ſtatu Homin.* ℣. 490. ſi ſane exponatur, procul exploſo Spinozæ delirio:

Summa boni ſemper ſummæ reſpondet amoris.
De toto in partes divini motus amoris
Fertur; At humanis certis de partibus ire
Ad totum conſuevit amor.

Nempe ad Deum, in quo ſolo omnis veri boni ratio unice reperiri poteſt.

b *Ad Cælum directi.* Al. *erecti.*

c *Videaturque, hominem Deus, quaſi porrecta manu, allevatum ex humo ad contemplationem ſui excitaſſe.* Al. *ut videaturque.* Al. *ut videatur.* Al. *excivisse.* Reſpicit Author ad illud Ciceron. L. II. cap. LVI. *de Nat. Deor. Deus homines, humo excitatos, celſos, & erectos conſtituit, ad Cœlique quaſi cognitionis, & domicilii priſtini conſpectum excitavit.* Quam ſententiam ſæpe diverſis expreſſionibus Noſter inculcat, præſertim Lib. II. cap. I. a ſeg. 14. ſeq. c. II. a ſeg. 18. cap. XVII. a ſeg. 9.

7

Quid ergo [a], inquit, *Deo cultus hominis*

nis confert, beato, & nulla re indigenti? vel ſi tantum bonoris [b] *homini habuit, ut ipſius cauſſa mundum fabricaret, ut inſtrueret eum ſapientia, ut dominum viventium faceret, eumque diligeret, tanquam filium, cur mortalem, fragilemque conſtituit?* [c] *cur omnibus malis, quem diligebat, objecit? quum oportet & beatum eſſe hominem, tanquam conjunctum, & proximum Deo, & perpetuum, ſicut eſt ipſe, ad quem colendum, & contemplandum figuratus eſt.*

---

a *Quid ergo* &c. Inſtat iterum Epicurus.

b *Vel ſi tantum bonoris*. Al. *tanti bonoris*. Lectionem hanc Cellarius, & Walchius elegantem appellant, Heuman. *illatinam* dixit; miratus, eam Cellarium non reſpuiſſe. Noſtra autem communior eſt, & ſæpe Lactantius utitur, præcipue vero ſuperius cap. IV. ſeg. 16. ubi fundamenta præjecit doctrinæ, qua hiſce Epicuri interrogationibus obviam itur.

c *Cur mortalem, fragilemque conſtituit?* Lucretius eodem Lib. V. ℣. 222. poſt verba a nobis recitata cap. IV. ſeg. 11. proſequitur:

. . . . Cur anni tempora morbos
Adportant? Quare mors immatura vagatur?

8

Quanquam hæc fere in prioribus libris ſparſim docuimus [a]: tamen, quoniam pro-

 prio

---

a *Sparſim docuimus*. Heum. mallet: *diſcuſſimus*.

prie id materia nunc exigit, quia de Vita Beata diſſerere propoſitum eſt, explicanda ſunt iſta diligentius, & plenius, ut diſpoſitio [b] Dei, & opus, voluntaſque noſcatur.

---

b *Ut diſpoſitio*. Vide ad L. I. cap. 1. ſeg. 5. L. II. cap. XVII. ſeg. 14.

9

Quum poſſet ſemper [a] ſpiritibus ſuis immortalibus [b] innumerabiles animas [c] procrea-

---

a *Quum poſſet ſemper*. Heum. ſuo more: *quum poſſet ſemel*; quod ea ratione improbavit Bunemannus, quoniam credidit, Lactantium in eo eſſe verſatum errore, quo quidam imbuti dicebant, Deum uno, eodemque tempore animas omnes procreaſſe. Quod an vere Noſter ſenſerit, videbimus diſſ. XXV. cap. VII. §. XI. Vide L. II. cap. XIII. ſeg. 2. Al. XII. & Lib. de *Opif. Dei* cap. XIX. ſeg. 1. ſeq.

b *Spiritibus ſuis immortalibus*. Sparckius ex Raudenſi notat heic: *Videtur Lactantius in ea fuiſſe ſententia, quæ animas habet, quaſi tot particulas de Deo decerptas. Scilicet plures e philoſophis Chriſtiani facti, Platonicorum dogmata Chriſtianis ſacris admiſcuere, qualia erant animarum præexiſtentia, & a divina eſſentia delibatio quædam, quas tamen non de Deo, ſed a Deo eſſe, Saniores omnes conſentiunt*. Verum quam longe ab iis Lactantius fuerit, diſſ. ſupra indicata patebit. Heic notaſſe ſufficiat Tò *ſpiritibus* idem

creare, ſicut Angelos genuit [d], quibus immortalitas ſine ullo malorum periculo, ac metu conſtat: excogitavit tamen inenarrabile opus, quemadmodum infinitam multitudinem [e] crearet animarum, quas primò fragilibus, & imbecillis [f] corporibus illigatas, conſtitueret inter bonum, malumque medias, ut conſtantibus [g] ex utriſque naturis [h] virtutem proponeret, ne immortalitatem delicate aſſequerentur, ac molliter, ſed ad illud æternæ vitæ *ineloquibile* [i] præmium ſumma

 cum

idem valere, ac *ſpirationibus*, pro ea actione ſumptis, qua Deus hominibus ſingillatim *Vitæ ſpiraculum inſpirat*: ſecundum phraſim Scripturæ Sacræ Gen. c. II. ℣. 7. Job. XXXIII. ℣. 4.

c *Innumerabiles animas*. Non abſolute; ſed reſpective, ut alibi ex Auguſtino expoſuimus.

d *Sicut Angelos genuit*. Vide Lib. IV. cap. VIII. ſeg. 9. Epitom. XLII. 3.

e *Infinitam multitudinem*. Exaggeratum dicendi modum uſurpat, quo utuntur plerumque homines ad numerum ſibi ignotum exprimendum.

f *Imbecillis*. Al. *imbecillibus*.

g *Ut conſtantibus*. Aldus, & Bon. *& conſtantibus*.

h *Ex utriſque naturis*. Al. *ex utraque natura*. Al. *naturæ*. Bon. *ex utrique natura*. Intellige ſecundum doctrinam, quam ſæpe Noſter inculcat, de repugnantia corpus inter, & ſpiritum, quæ partes ſunt hominem componentes, & quamvis invicem tantopere repugnantes, inſcrutabili Dei conſilio copulatas.

i *Ineloquibile*. Hanc vocem iterum infra Lactan-

cum difficultate, ac *magnis* laboribus [k] pervenirent.

tius adhibet, eamque Bunem. repperit in verſione antiqua operum S. Iræuei L. 1. cap. x., eamdem *raram* vocat Walchius. Simile vocabulum habet noſter Lib. *de Opif. Dei* cap. xix. ſeg. 5. *ineloquentibus*; & de utroque ſuo loco dicemus.

k *Magnis laboribus*. Schottus: *maximis*.

10

Ergo ut eos gravibus, & vexalibus [a] membris indueret, quoniam conſiſtere in medio inani non poterant, ponderibus, & gravitate corporis deorſum premente, ſedem illis, ac domicilium primo condendum eſſe decrevit [b].

a *Vexabilibus*. Sic etiam Schottus, & Aldus Al. *vexſabilibus*. Al. *nexibilibus*. Al. *inexibilibus*. Vocem hanc ſuperius expoſuimus; non ſolum enim pro *cruciare*, ſumitur; ſed proprie id ſignificat, quod eſt huc, atque illuc *vectare*, ſeu *diſtrahere*.

b *Condendum eſſe decrevit*. Al. *cudendum*. Al. *eruendum*.

11

Itaque ineffabili virtute, ac potentia præclara mundi opera molitus eſt, ſuſpenſis

in

in altitudinem levibus elementis [a], & gravibus in ima depreſſis, & cæleſtia firmavit, & terrena conſtituit.

a *Levibus elementis:* Ignem nimirum, & aerem, ut antiquiores philoſophi docuerunt.

12

Non eſt neceſſe nunc exequi ſingula, quoniam in ſecundo libro [a] univerſa executi ſumus. Lumina igitur poſuit in cælo, quorum moderatio, & claritas [b], & motus aptiſſime ad utilitates viventium temperatus eſt. Terræ autem, quam ſedem voluit eſſe, fœcunditatem varia gignendi [c], ac proferendi dedit, ut ubertate frugum, & herbarum virentium [d] pro natura, & uſu, cujuſque generis alimoniam adminiſtraret.

D 4 Tum

a *Quoniam in ſecundo libro*. Scilicet a cap. II. ſeg. 62. Adde Ovidii. *Carm. ex* 1. *Metam.* a ỽ. 22.

b *Quorum moderatio*, *claritas* &c. Al. *moderationes*, *claritates* &c. Al. *moderatione*. Al. *claritatis*. Al. *temperavit*. Aldus legit nobiſcum. Intellige: inter ſe hæc omnia eſſe temperata.

c *Varia gignendi*. Al. *variam*.

d *Herbarum virentium*. Iſæus. *Viventium*. Al. puerili, & ſatis frigida verborum interciſione legunt: *ut ubertate frugum*, *&* *herbarum*, *viventium pro natura*, *&* *uſu*, *unicuique generi alimoniam miniſtraret*.

13

Tum perfectis omnibus, quæ ad conditionem mundi [a] pertinebant, hominem finxit ex ipſa terra [b], quam illi a principio in habitaculum præparavit, id eſt, ſpiritum ſuum [c] terreno corpore induit, & involvit, ut compactus [d] ex rebus diverſis, ac repugnantibus, bonum, ac malum caperet.

---

a *Ad conditionem mundi*. Bon. *ad conditionem hominis*.

b *Ex ipſa terra*. Bon. *& ex ipſa* &c.

c *Id eſt ſpiritum ſuum* &c. Primo intuitu non ſolum heic error ſeg. nono indicatus ſeſe legentibus offert; ſed Spinozæ fundamentale delirium, videtur obtrudi. Cave tamen id tibi perſuadeas; nam de anima rationali loquitur, quam L. II. cap. XIII. *Spiritum Cæleſtem* appellat, ut bene heic notant Heum. & Bunem.

d *Ut compactus*. Iſæus, & alii quidam: *ut & compactus*.

14

Et ſicut terra ipſa fœcunda eſt ad fruges pariendas, ita corpus hominis, quod aſſumptum eſt e terra, generandi copiam, facultatemque procreandæ [a] ſobolis accepit: ut quo-

---

a *Procreandæ ſobolis*. Bon. *prodendæ ſubolis*.

quoniam fragili materia formatus, in æternum manere non poterat [b], peracto temporalis vitæ ſpatio, cederet, & illud, quod fragile, atque imbecillum gerebat, perpetua ſucceſſione renovaret.

b *In æternum manere non poterat*. Intellige ex vi naturæ ſuæ, ſecundum quam homo mortalis eſt; quamquam certum ſit, & fide catholica ſanctum, Adamo non peccante, minime fuiſſe moriturum. Hinc in Concilio Milevitano II. can. II. anathema dictum fuit ei, *quicumque dicit Adam primum mortalem factum ita, ut ſive peccaret, ſive non peccaret, moreretur in corpore: hoc eſt, de corpore exiret non peccati merito; ſed neceſſitate naturæ*. Cujus erroris minime particeps Lactantius fuit, quum dixit hominem in æternum manere non poſſe, quoniam tam paullo infra, quam alibi clariſſime explicat, immortalitatem non naturæ, ſed virtuti donandam fore; quia, ut ait S Auguſtinus *Quæſt. Nov. & veter. Teſt.* XIX. *Deus hominem fecit, qui quandiu non peccaret, immortalitate vigeret; ut ipſe ſibi author eſſet, aut ad vitam, aut ad mortem. Non enim*, inquit, S. Thomas P. P. Q. XCVII. A. I. *Corpus ejus erat indiſſolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo exiſtentem; ſed inerat animæ vis quædam ſupernaturaliter divinitus datam, per quam poterat corpus ab omni corruptione præſervare*. Vide Diſſ. XXV. C. VII. §. VI.

15

Cur igitur eum mortalem finxit [a], & fra-

fragilem, cum illius cauſſa mundum ædificaſſet? Primum ut infinita vis animarum [b] gignetur, omnemque terram multitudine oppleret: deinde ut proponeret homini virtutem, id eſt tolerantiam malorum, ac laborum [c], per quam poſſet præmium immortalitalitatis adipiſci.

---

a *Cur igitur mortalem finxit* &c. Id eſt: quare in eo ſtatu a Deo homo creatus eſt, ut & peccare poſſet, & mori? Vide ad Lib. de *Opif. Dei*. cap. IV. ſeg. 2. L.II. cap. XIII. *Epitom.* cap. XXVII. ſeg. 2. ſeq.

b *Ut infinita vis animarum* &c. Intellige ſecundum expoſitionem quam ſuperius dedimus ſeg. 9.

c *Tollerantiam malorum, ac laborum, per quam* &c. Al. *malorum, ac bonorum*. Quæ in hoc capite de perferendis ærumnis, atque laboribus; & ea, quæ Lib. VI. Cap. II. de miſericordiæ operibus exercendis dicta ſunt; notanda eſſe, monet Iſæus, adverſus Lutheranos, ſectarioſque, qui bona opera ad ſalutem æternam conſequendam, neceſſaria eſſe negant; quam doctrinam ſæpe noſter inſinuat. Sed quid dicendum, ſi quis inquirat a nobis: quæ malorum, ac laborum tollerantia, Adamo non peccante, fuiſſet, perquam homo præmium immortalitatis poſſet adipiſci? Vide diſſ. XXXV. cap. IX. §. II. Ubi hanc quæſtionem pertractamus, & Lactantii mentem exponimus ex iis quæ habentur infra ſeg. 36. ſeq.

16

Nam quia homo ex duabus rebus conſtar,

ſtat, corpore, atque anima: quorum alterum terrenum eſt, alterum cæleſte, duæ vitæ homini attributæ ſunt [a]: una temporalis, quæ corpori aſſignatur: altera ſempiterna, quæ animæ ſubjacet.

a *Duæ vitæ homini attributæ ſunt.* Hoc explicat Lactantius cap. x. ſeq.

17

Illam naſcendo accipimus [a], hanc aſſequimur laborando: ne immortalitas homini (ut ante diximus) ſine ulla difficultate conſtaret. Illa terrena eſt, ſicut corpus, & ideo finitur, hæc vero cæleſtis, ſicut anima, & ideo terminum non habet. Illam primam neſcientes accepimus: hanc ſecundam ſcientes; virtuti enim non naturæ datur, quia voluit nos Deus vitam nobis in vita comparare [b].

a *Illam naſcendo accipimus.* Sic etiam Aldus. Al. *accepimus.*
b *In vita comparare.* Al. *in hac vita &c.*

18

Iccirco hanc nobis præſentem dedit, ut illam veram, & perpetuam aut vitiis amittamus, aut virtute mereamur [a]. In hac corporali,

porali non eſt ſummum bonum: quoniam ſicut neceſſitate divina [b] nobis data eſt, ita rurſum divina neceſſitate ſolvetur [c]. Ita quod finem habet, ſummum bonum non habet.

---

a *Aut virtute mereamur*. Cellarius: *Dure*, inquit, *ac improprie dictum. Si vero ſenſit, quod littera refert, a ſanis formulis aberrat*. Bunem. vero de more Tò *mereamur* per id, quod eſt, conſequi exponit. Lutherano ſcilicet errore circa meritum bonorum operum uterque imbutus, quem refellimus Diſſ. xxix. c. vii. §. xvi. & diſſ. xxxv. c. vii. §. iii.

b *Neceſſitate divina*. Hocce neceſſitatis vocabulum diverſimode a Lactantio uſurpari ſolet; heic vero pro divina voluntate ſumptum eſſe, ſenſus ipſe verborum oſtendit. Idem facit L. *de Opif. Dei* cap. xvii. ſeg. 7. L. II. *Divin. Inſt.* cap. 1. ſeg. 1. *de Ira Dei* cap. xv. ſeg. 7. vide dicta ad cap. 1. Lib. I. cap. v. ſeg. 20. ad Lib. iv. cap. ix. ſeg. 2. &c. Iccirco opus non erat Sparkio id pro *divina lege* interpretari, ac *duriuſcule* adhibitum eſſe annotare.

c *Solvetur*. Sic nobiſcum Aldus, & Schottus. Al. *ſolvitur*, vel *diſſolvitur*.

19

Iu illa vero ſpiritali [a], quam per nos ipſi acquirimus, ſummum bonum continetur, quia nec malum poteſt habere, nec finem: cui

---

a *Spiritali*. Al. *ſpeciali*.

b *Cui rei argumentum*. Aldus; & Al. *cujus rei*.

cui rei argumentum [b] natura, & ratio corporis præbet [c].

c *Natura, & ratio corporis præbet*. Verba hæc in pleriſque Mſs., & editis variant; ſenſus autem idem eſt in omnibus.

20

Cætera namque animalia in humum vergunt, quia terrena ſunt, nec capiunt immortalitatem, quæ de cælo eſt. Homo autem rectus in cælum ſpectat, quia propoſita illi eſt immortalitas; nec tamen venit, niſi tribuatur homini a Deo [a]. Nam nihil intereſſet [b] inter juſtum, & injuſtum, ſi quidem omnis homo natus [c], immortalis fieret. Ergo immortalitas non ſequela naturæ [d], ſed merces, præmiumque virtutis eſt.

De-

a *Niſi tribuatur homini a Deo*. Ipſa enim beatitudo, & omne id, quod ad illam hominem perducit, a Deo debet proficiſci, quum naturæ humanæ vires ad eam conſequendam ſine divinæ gratiæ auxilio nequeant aliquo modo diſponere.

b *Nihil intereſſet*. Al. *nihil eſſent*.

c *Omnis homo natus* &c. Vide Lib. III. cap. XIX. ſeg. 7.

d *Non ſequela naturæ*. Confirmat, quæ paullo ſupra dicebamus, & rationem reddit, quare in hominibus

minibus adultis merita requirantur ad beatæ immortalitatis vitam per modum coronæ adipiſcendum. Quam tamen parvuli ante uſum rationis decedentes, ſi baptiſmum ſuſceperint, per modum hæreditatis conſequuntur. De voce *ſequela* vide ad Lib. *de Opif. Dei* cap. 4. ſeg. 3. Bon. *ſequella*.

21

Denique homo non ſtatim, quam natus eſt [a], rectus ingreditur [b], ſed quadrupes primo [c], quia ratio corporis, & hujus præſentis vitæ communis eſt nobis cum mutis animalibus [d]: poſt deinde confirmatis viribus erigitur, & lingua ejus in eloquium ſolvitur, & mutum animal eſſe deſinit.

Quæ

a *Non ſtatim, quam natus eſt.* Heum. ſuſpicatur legendum eſſe: *non ſtatim, quum natus eſt.* Et hæc quidem digna philologo annotatio *eſt*. Al. *ſtatim quo*. Al. *ſtatim quando*. Bunem. exponit *ſtatim ac*, & plura de hac dicendi formula addit ſumma diligentia conquiſita. Eadem Noſter utitur L. *de Opif. Dei* c. III. ſeg. 1. ubi adverſus Eraſmum eam vindicavimus.

b *Rectus ingreditur*. Bunem tam heic, quam L. II. cap. 1. ſeg. 14. (a) exponit: *erectus*.

c *Sed quadrupes primo*. Forte ad ænigma Œdipo a Sphinge propoſitum alludit: *Quod nam animal*, inquiens, *bipes, idemque tripes, ac quadrupes eſſet?*

ſet? Quod Œdipus ſolvit reſpondens: tale animal hominem eſſe, qui in infantia manibus, pedibuſque reptans, quadrupes incedit. Adoleſcens jam factus Bipes ambulat. At in ſenectute, viribus jam deficientibus, ſcipione utens, tripes quodammodo fit. Vide Euripid. Scholiaſt. Zenob. Auſon. Ædil. xv. Tzetz. ad Lycophr. P. 111. Apollodor. &c.

d *Communis eſt cum mutis animalibus*. Schottus: *animantibus*. *Hic locus*, inquit Betulejus, *quam ſuperior, cenſura dignior erat; ſi modo muti animalis nomine brutum, more Lactantiano, intelligere volumus. Multa ſiquidem inde ſecutura erant inconvenientia. Primum tolleretur non modo puerorum infantium baptiſma; ſed etiam communicatio vitæ cæleſtis. Nam rationalis anima, non bruta, homini ab initio tributa eſt* &c. Sed nihil tale ex Lactantii verbis erui unquam poterit, ſi integra recitentur. Ait enim rationem reddens quare infans quadrupes primum incedat: *Quia ratio corporis, & hujus præſentis vitæ, communis eſt nobis cum mutis animalibus* &c. Quis autem neſciat, hominem habere eſſe cum lapidibus, vivere cum plantis, ſentire cum brutis, intelligere cum Angelis commune?

22

Quæ ratio docet, mortalem naſci hominem[a] poſtea vero immortalem fieri, cum coe-

a *Quæ ratio docet, mortalem naſci hominem*: Id eſt:

cœperit ex Deo vivere, id eſt juſtitiam ſequi [b], quæ continetur in Dei cultu [c], quum excitaverit hominem Deus ad aſpectum cæli, ac ſui. Quod tum fit, quum homo cælesti lavacro [d] purificatus, exponit infantiam cum omni labe vitæ prioris [e], & incremento divini vigoris accepto, fit homo perfectus, ac plenus. Ergo

---

eſt: *rationem corporis, & hujus præſentis vitæ communem cum mutis animalibus habere*. Quod quum non animadvertiſſet Dodvvellus ex his, aliiſque male intellectis Lactantii verbis, *inſolitam* non ſolum, ut inquit Bunemannus, ſed impiam opinionem *de anima naturaliter mortali, ſed immortali reddenda, conatus eſt confirmare*. Sam. Klarkius eum confutaſſe tradit Bunem. *ex Act.s Eruditor. Lipſ.* MDCCVII. At Lactantius idem non hoc tantum libro; ſed in aliis fere ſingulis hujuſmodi refellit opinionem ut, Diſſ. xxv. cap. VIII. §. præfertim III. luculenter oſtendimus.

b *Quum cœperit ex Deo vivere, id eſt, juſtitiam ſequi* &c. Hinc noſcere poterant Lactantii oſores, de qua vita, atque immortalitate loqueretur. Quod infra magis patebit.

c *Quæ continetur in Dei cultu*. Heum. præpoſitionem ſuo delet arbitrio.

d *Cæleſti lavacro*: Baptiſmum intellige.

e *Exponit infantiam cum omni labe vitæ prioris*. Quamquam heic Lactantius videatur de adultorum baptiſmate ſolummodo loqui, non propterea alicubi illud parvulorum excludit. Immo de infantia morali

rali loquens, innuit jam in uſu tum fuiſſe, infantes baptizari; alias enim incongrue hanc metaphoram adhibuiſſet. Quare nulla, & ſatis vana eſt Betuleii conjectura, qui ait: *Videtur adultorum dumtaxat baptiſma agnoſcere*. Heum., ut ſolet, non dubitat reſcribendum eſſe: *deponit*. Stevvechius: *ſeponit*; ſed Bun. non ſolum heic; ſed L.III. c. XXVI. ſeg. 13. noſtram lectionem vindicat, & propugnat.

e *Et incremento divini vigoris accepto, fit homo perfectus, ac plenus*. De ſacramento confirmationis hæc intelligenda eſſe, exiſtimabunt omnes, qui ſciant, illud a SS. Patribus appellatum fuiſſe *perfectionem*, non alia quidem ratione, niſi quod ab eo baptiſmum quodammodo perficitur; nam, ut ſcite docet S. Thom. III. P. Q. LXXII. Ar. VII. quamquam baptiſmus abſtergat tam originale, quam omne habituale peccatum, conferendo gratiam ſanctificantem; nihilominus confirmatio, roborat nativitatem, quam fideles Chriſti per baptiſmum receperunt. Gratia quippe gratum faciens non ſolum ad culpæ remiſſionem per ſalutare lavacrum confertur; verum etiam augetur, firmaturque per ſacram untionem, quæ *divinum vigorem* illum addit, de quo heic Noſter loquitur. Vide diſſ. XXXV. cap. II. §. IV.

23

Ergo quia virtutem propoſuit homini Deus, licet anima, & corpus conſociata ſint, tamen contraria ſunt, & impugnant invicem [a]. Animi bona, mala ſunt corporis, id eſt opum fuga, voluptatum interdictio, do-

loris, mortiſque contemptus. Item corporis bona, mala ſunt animi, hoc eſt cupiditas, & libido, quibus & opes appetuntur, & ſuavitates[b] variarum voluptatum, quibus enervatus animus extinguitur.

a *Et impugnant invicem*. Al. tam heic, quam Lib. *de Ira Dei* cap.xix. ſeg.1. pronomen *ſe* addunt, quod tamen in nullo Ms. Codice legimus. Vide ad L. II. cap. xii. ſeg. 7.
b *Suavitates*. Al. *ſuavitas*. Al. *ſua vita*.

24

Ideo neceſſe eſt, juſtum, & ſapientem in omnibus malis eſſe, quoniam malorum victrix eſt fortitudo: injuſtos autem in divitiis, in honore, in poteſtate[a]. Hæc enim bona corporalia, & terrena ſunt. Illi autem terrenam vitam agunt, nec aſſequi immortalitatem queunt, quia ſe voluptatibus dediderunt, quæ ſunt virtutis inimicæ. Itaque vita hæc temporalis illi æternæ debet eſſe ſubjecta, ſicut corpus animæ.

a *In divitiis, in honore, in poteſtate*. Bon. ſecundam præpoſitionem omittit.

25

Quiſquis ergo animæ vitam maluerit, vi-

vitam corporis contemnat, neceſſe eſt: nec aliter eniti ad ſumma poterit [a], niſi, quæ ſunt ima, deſpexerit. Qui autem corporis vitam fuerit amplexus, & cupiditates ſuas in terram dejecerit, illam ſuperiorem vitam conſequi non poteſt.

---

a *Ad ſumma poterit*. Al. *ad ſummum bonum*.

26

Sed qui mavult bene vivere in æternum, male vivet ad tempus, & afficietur [a] omnibus moleſtiis, & laboribus, quandiu fuerit in terra, ut habeat divinum, & cæleſte ſolatium. Et qui maluerit bene vivere ad tempus, male vivet in æternum; damnabitur enim ſententia Dei ad æternam pœnam, quia cæleſtibus bonis terrena prædpoſuit.

---

a *Afficietur*. Sic etiam Schottus. Al. *afficitur*.

27

Propterea igitur coli ſe Deus expetit, & honorari ab homine, tanquam pater, ut virtutem, ac ſapientiam teneat, quæ ſola immortalitatem parit. Nam quia nullus alius præter ipſum donare eam poteſt, quia ſolus

poſſidet [a]; pietatem hominis, qua Deum honoraverit, hoc afficit præmio, ut ſit in æternum beatus, ſitque apud Deum, & cum Deo ſemper.

a *Quia ſolus poſſidet; pietatem hominis, qua Deum honoraverit, hoc afficit præmio:* Hanc pro gemina lectione retinemus cum Thom. Iſæo, Schotto, Cellario, Walchio, & Bunemanno, ubi alii pro *qua* legunt *qui* pro *afficit*, *afficietur*. Sic Schottus: qui tamen non *pietatem*, ſed *pietas* legit.

28

Neque nunc [a] *aliquis eo confugiat* [b], *ut dicat: ad ipſius culpam pertinere, qui & bonum inſtituit, & malum* [c]. *Cur enim malum voluit eſſe, ſi id odio habet? Cur non bonum tantum fecit, ut nemo peccaret, nemo faceret malum?*

a *Neque nunc*. Ab hiſce verbis ad finem uſque capitis prolixa ſatis decurrit oratio, quæ non ſolum a noſtro Bononienſi antiquiſſimo codice abeſt, & ab omnibus Romanis, quos vidimus, tribus dumtaxat exceptis; ſed ab omnibus etiam commentariorum Scriptoribus vel reicjitur, vel ſaltem, ut ſuſpecta notatur. Eos nos imitati ſumus, qui eam retinent; diverſo tamen charactere conſcriptam, ne caſtigationibus noſtris, quæ eas merentur ſententiæ, omnino careant, atque ut ſuo quæque reſtituantur authori.

b *Eo confugiat, ut dicat:* Lact. hac phraſi utitur Lib. IV. cap. XV. ſeg. 26. ut bene notavit Bunem.

c *Ad ipſius culpam pertinere,qui & bonum inſtituit & malum*. *Inſtituere* heic idem valet ac *preponere*; ſequitur enim: *cur malum voluit eſſe?* Virgilius L.VII. æn. a ℣. 108.

Corpora ſub ramis deponunt arboris altæ

Inſtituuntque dapes &c. Vide ſupra cap.III.ſeg.4. Heic nota, hanc eandem quæſtionem ſibi ſolvendam propoſuiſſe Lactantium ſub initium hujus capituli ſeg. 7. *Cur omnibus malis, quem diligebat objecit?* Quam heic enodare geſtit, quum ſuperius *leviter* & curſim ſolummodo *attigerit*. Si eum intelligere cupis attende ad ea, quæ habentur Eccleſ. XI. a ℣.14. *Bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honeſtas a Deo ſunt*: Quamvis enim ex primo conditoris noſtri conſilio mala iſta non proceſſerint; homo tamen vim intulit illi, ut iſta in peccati pœnam conſtituerentur; quia nihilominus ſumma eſt Dei ſapientia, ac ejus erga nos clementia, ſic hujuſmodi mala diſpoſuit, ut etiam ils, ſi volumus, ad ſanctitatis, vitæque beatæ adminiculum, uti poſſimus. Hæc ſumma eſt doctrinæ hac oratione circumſcripta.

29

Quamquam hoc in omnibus fere prioribus libris docuerim, & id jam ſuperius, quamvis leviter, attigerim: tamen ſubinde admonendum eſt, quia omnis ratio in eo poſita eſt.

30

Nulla enim virtus eſſe poterat, niſi di-

diverſa feciſſet [a] *: nec omnino* [b] *apparere vis boni poteſt, niſi ex mali comparatione. Adeo malum nihil aliud eſt, quam boni interpretatio. Sublato igitur malo, etiam bonum tolli, neceſſe eſt* [c]*. Si*

---

a *Nulla enim virtus eſſe poterat, niſi diverſa feciſſet*: Inter vitia extrema enim mediat virtus: ſecundum vulgatum illud adagium: *Virtus in medio conſiſtit*. Vide a nobis dicta ad L. III. c. XXIX., & ad L. V. cap. VII. ubi hæc eadem ſententia legitur verbis licet diverſis expreſſa, & a nobis explicata contra id, quod ibidem notaverat, & heic repetit Gallæus.

b *Nec omnino apparere vis boni poteſt niſi ex mali comparatione*. Secundum quod notiſſimum adagium illud cuſum eſt: *Oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt*.

c *Quam boni interpretatio*. Forte legendum aliquando putabam: *quam boni privatio*. Sed communis lectio retinenda, & explananda ſecundum ea, quæ infra dicemus ſeg. 39. (a).

d *Sublato igitur malo, etiam bonum tolli, neceſſe eſt*. Adeo in hac vita mortali arcto ſunt vinculo inter ſe bona, ac mala invicem colligata, ut uno avulſo, vix aliud non deficere queat. Hinc Chriſtus Dominus Matth. XIII. ℣. 29. in parabola Patris familias, qui, quum in agro ſuo bonum ſemen ſeminaſſet, & zizania inter triticum male ſuborta eradicare coloni petiiſſent, reſpondit: *Non: ne forte colligentes Zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum*. Si enim ab homine in ſtatu naturæ reparatæ auferas omne malum, quo per pœnitentiam ſe affligat, per tollerantiam Deo ſatisfaciat, proximis per miſe-

miſericordiam ſuccurrat, quæ in eo charitas eſſe poterit, *cujus probatio in operis exhibitione conſiſtit?*

31

Si lævam manum, aut pedem amputaveris, nec corpus erit integrum, nec vita ipſa conſtabit [a]. *Adeo ad compagem corporis tem-*

a *Nec vita ipſa conſtabit*. Manu, ſeu pede, ſive etiam utriſque amputatis, homines adhuc vivere paſſim videmus. Imo non raro ſine eis natos fuiſſe homines apud probatos ſcriptores, teſtantur hiſtoriæ; quomodo ergo heic dicitur, vita ſine alterutro conſtare non poſſe? Nimirum in officiis, ad quæ peragenda nobis data ſunt corporis membra. Cicero *de Offic.* L. 1. *In tota vita conſtituenda multo eſt major rei cura adhibenda, ut conſtare in vitæ perpetuitate poſſimus nobis metipſis; nec in ullo officio claudicare*. Adde Antonii Ribeirj Sancheſii Luſitani, olim Ruſſiæ Imperatricis archiatri excellentiſſimi, & a conſiliis, expoſitionem, ad me Pariſiis nuper miſſam: *Quotidie obſervant in morbis medici, corruptis, & exeſis viſceribus etiam ad vitam apprime* neceſſariis, *vivere poſſe homines. Vivit Empyematicus, & ad ultimum vitæ finem mente conſtans unica tantum particula pulmonis. Vivunt ſuppurati hepatis, renumque, & illi, quibus extremi omnes artus fuere ſiniſtris caſibus amputati; ſed hæc vita a Medicis* Minima *inſignitur*. Integra, *conſtantibus omnibus corporis partibus, &* Maxima. *Unde verum ait Lactantius, qui*

temperandam, aptiſſime cum dexteris ſiniſtra junguntur. Item ſi pares calculos feceris, nemo ludet [b].

qui reſpexiſſe videtur eloquentiſſimum authorem Eloquentiæ Magiſtrum Lib. III. de Orator. cap. xx. *ubi ait: Nullum eſt enim genus rerum, quod aut avulſum a cæteris per ſe ipſum conſtare, aut quo cætera careant, vim ſuam, atque æternitatem conſervare poſſit.* Unde *nec ipſa vita conſtabit*: idem eſt, ac, *nec ipſa vita ſimul tota, & omnibus ſuis partibus ſtabit*. Ex hoc veſtigio Virum noſce, quem honoris cauſſa non minus, quam grati animi nominavimus. Conf. L. II. cap. x. ſeg. 29.

b *Nemo ludet*. I. E. Nemo quicquam ludendo aut lucri, aut jacturæ reportabit, quum ex calculorum jactu ſpes nulla præmii concipi ab iis poſſit, quibus ſemper æqualis erit alea.

32

Si unum colorem Circo dederis [a], *nemo ſpe-*

a *Si unum colorem Circo dederis*. Iis, qui in ludis Circenſibus *curribus*, *equis deſultoriis*, aut alio exercebantur modo, veſtes non unicolores eſſe debebant, ut victores a judicibus facile deſignari poſſent; & ſpectatores partium ſtudio affecti, gaudio, & exultatione ex ſpectata ſuorum victoria, vexatum ſpem inter, & timorem animum reficere quodammodo poſſent. *Factionarii* ii dicebantur, qui unicolores currus agitabant, & *Factiones* quatuor antiquo mo-

ſpectandum putabit, ſublata omni Circenſium voluptate [b]. *Quos profecto qui prius inſtituit* [c], *amator unius coloris fuit* [d] *ſed alte-*

more eſſe debebant: Scilicet *Ruſſata*. Al. *Rufata*, *Albata*, *Praſina*. Al. *Braſina*, & *Veneta* vel *Thalaſcia*, ſeu *Marina*. Unde Ovidius L. III. Amor. Eleg. II. a ℣. 77. ait:

Jamque patent iterum reſerato carcere poſtes;
Evolat admiſſis diſcolor agmen equis.

Diocletianus duas addidit: *Auratam*, & *Purpuream*, de quibus infra.

b *Omni Circentium voluptatem*. Al. *omnium*.

c *Quos profecto, qui primus inſtituit, amator unius coloris fuit* &c. Quum de primo Circenſium ludorum inſtitutore agunt rerum antiquoram ſcriptores ad Pelopis fabulam ſe conferunt; unde Statius *Thebaid.*. Lib. VI. a ℣. 5. ait:

. . . . *Primus Piſæa per arva*
Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem,
Pulvereumque fera crinem deterſit oliva.

Ubi videndus Lactantius Placidus, & Cicer. in Tuſcul. Lib. II. Pauſan. *in Eliac.* L. I. Diodor. Lib. V. cap. II., & IV. &c.

d *Amator unius coloris fuit*. Colores, quos ſupra recenſuimus, diis, atque deabus quibuſdam dicati erant; & iccirco quum Pelops ope Neptuni Piſæum ſuperaſſet, in illius falſi numinis honorem, & ludos hoſce inſtituit, ex Lib. VI. cap. XX. ſeg. 35. & cæruleum, ſeu Venetum colorem illi dicavit, quem heic reſpexiſſe videtur Lactantius. Juvenal. Satyr. XI. a ℣. 187. colorem viridem plebi, & Imperatori gratum præ cæteris innuit, dicens: *To-*

terum ei, quaſi æmulum poſuit, ut poſſet eſſe ᵉ certamen, & aliqua in ſpectaculo gratia.

Totam hodie Romam Circus capit, & fragor aurem
Percutit; eventum viridis, quo colligo panni.
Adde Lact. *de M. P.* cap. XVII.

e *Ut poſſet eſſe*. Al. *ut poſſit*. Pauſanias in Eliacis Lib. VI. p. mihi 231. morem referens in Olympicis ſervari ſolitum ait: *Neque enim univerſos; ſed quatuor, ut quibuſque primis ſors obtigerit, e carceribus emittunt, quiqua ex ordinibus ſingulis vicerint, iis rurſus cum aliorum ordinum victoribus de eodem præmio decertandum eſt. Quo fit, ut cui fuerit corona decreta, is palmam duplicem auferat. In eo curſus genere excelluit Leonidas Rhodius. Is eſt enim quatuor Olympiadum præmia conſecutus: nempe qui quum nulli adverſariorum ſuccubuiſſet, duodecim palmas unus abſtulit.*

33

Sic Deus, quum bonum conſtitueret, quum virtutem daret, ſtatuit etiam diverſa ᵃ, cum quibus illa confligerent. Si deſit ho-

a *Statuit etiam diverſa, cum quibus illa confligerent:* Nempe bonum, & virtus: illud cum malis iſta cum vitiis, inter quæ mediat. Non enim in hac vita bonum aliquod concipi poteſt, quod per oppoſitum ma-

hoſtis, & pugna, nulla victoria eſt. Tolle certamen, ne virtus quidem quicquam eſt [b].

---

malum nequat amitti ab homine, qui viciſſitudinibus obnoxius eſt; neque virtus ulla dari poteſt, una excepta charitate, quæ exceſſum inter, & defectum non ſit media. Hæc autem omnia, ſi iis bene utamur ad præmium æternum conſequendum apprime conferunt; ſcimus enim, ut docet Apoſtolus ad Rom. VIII. ℣. 28. *Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.*

b *Tolle certamen, ne virtus quidem quicquam eſt.* Nomine virtutis heic intelligi nequit habitus aliquis ſive infuſus, ſive acquiſitus, qui qualitas permanens dicatur, & ſit; ſed vis, ars, induſtria illa, qua quis etiam in repentinis rem bene gerit, & in ludis præſertim magno plauſu excipiebatur ab adſtantibus: *Non enim ſolum*, ut ad rem inquit Cicero *pro Lege Manil. bellandi virtus in ſummo, atque perfecto Imperatore quærenda eſt; ſed multæ ſunt artes eximiæ, hujus adminiſtræ, comiteſque virtutis*, quæ non niſi occaſione data emicare queunt, quemadmodum ſcintillæ ignitæ, quas ex ſilicis percuſſione chalybs ſolet excudere, & ex vi electrici motus pleraque corpora ſolent emittere; unde Noſter proſequitur; *quam multa ſunt* &c. quæ iis optime qnadrant, de quibus hactenus locuti ſumus.

34

Quam multa ſunt hominum inter ſe, & quam variis artibus conſtituta certamina? Ne-

Nemo tamen fortior, velocior, præſtantior haberetur, ſi adverſarium, cum quo contenderet, non haberet. Unde autem abeſt victoria, abeſſe hinc & gloriam ſimul, & præmium neceſſe eſt [a].

---

a *Unde autem abeſt victoria, abeſſe hinc & gloriam ſimul, & præmium, neceſſe eſt*. Non enim aliquis coronabitur, inquit Apoſtolus II. ad Timoth. II. ℣. 5. *Niſi legitime certaverit*.

35

Ut igitur virtutem ipſam exercitatione aſſidua roboraret, eamque faceret de malorum conflictatione perfectam [a], *utrumque ſimul dedit, quia utrumque ſine altero retinere vim ſuam non poteſt* [b]. *Ergo diverſitas eſt, cui omnis ratio veritatis innititur* [c]. *Non*

---

a *Eamque faceret de malorum conflictatione perfectam*: Virtus ſiquidem, eodem teſte Apoſtolo II. ad Cor. XII. 9. *In infirmitate perficitur*.

b *Retinere virtutem ſuam non poteſt*: Ex Nevvtonis ſyſtemate de mutua rerum attraxione, ac reſiſtentia mire hæc poſſent illuſtrari.

c *Ergo diverſitas eſt; cui omnis ratio veritatis innititur*. Veritas, quam heic Noſter inquirit, eſt, quare Deus, qui homines diligit, eos mala perpeti ſinat; quam quæſtionem, quum ex hactenus dictis egre-

egregie de more explanaverit, concludendum ei erat, rationem hujus veritatis in ea diverſitate verſari, quæ pugnæ primum occaſionem præbet, poſtmodum victoriæ, demum coronæ, & præmio, cujus materiam in hoc libro pertractandam aſſumpſit.

36

Non me præterit [a] *, quid hoc loco a peritioribus poſſit opponi. Si bonum ſine malo eſſe non poteſt, quomodo primum hominem dicis ante offenſum Deum in ſolo bono fuiſſe, aut poſtea in ſolo bono futurum* [b] *? Diſcutienda nobis hæc quæſtio eſt: quod in prioribus libris prætermiſi, ut hic implerem.*

---

a *Non me præterit* &c. Al. *præteriit*, & forte melius; nam optime novit Author, hanc quæſtionem ex iis, quæ dixerat, oriri poſſe, ut notavimus ſeg. 15., locum hunc, & Diſſertationem noſtram xxxv. indicantes, ubi Petri Baelii impudentiam, affectatamque ignorantiam caſtigandam reſervavimus. Interea nota, locum hunc manifeſte demonſtrare hanc orationem, quam perperam aliqui tamquam ſpuriam ejecerant, genuinam eſſe Lactantii prolem: Siquidem hac a ſinu ejus erepta, tota hujuſce libri fabrica fundamento privatur.

b *Primum hominem in ſolo bono fuiſſe, aut poſtea in ſolo bono futurum.* Si Adam in ea juſtitia perſeveraſſet, in qua a Deo creatus fuerat, utique non ſolum omni malo caruiſſet; verum etiam eum eo ge-

genus omne humanum æterna beatitate donandum erat. Sed adverte animum, quod Deus in primi hominis productione humano corpori aliquid ex ſua benignitate tribuit, quod ei ex ſuæ naturæ principiis erat omnino indebitum. *Scilicet*, ut Angelice de more S. Thomas exponit Lib. IV. *contra Gentes* cap. LXXXI. *incorruptibilitatem quamdam, per quam convenienter ſuæ formæ coaptaretur; ut ſicut animæ vita perpetua eſt, ita corpus per animam poſſet perpetuo vivere: & talis quidem incorruptibilitas etiamſi non eſſet naturalis quantum ad activum principium, erat tamen, quodammodo naturalis ex ordine ad finem, ut ſcilicet materia proportionaretur ſuæ naturali formæ, quæ eſt finis materiæ. Animæ igitur præter ordinem ſuæ naturæ a Deo averſæ, ſubtracta eſt diſpoſitio, quæ ejus corpori divinitus indita erat, ut ſibi proportionaliter reſponderet, & ſecuta eſt mors. Eſt igitur mors, quaſi per accedens ſuperveniens homini per peccatum, conſiderata inſtitutione humanæ naturæ*. Ac propterea ita in ſolo bono erat actu conſtitutus a Deo, ut in ſua eſſet poteſtate, tam in ejus tranquilla poſſeſſione, ad meliora aliquando tranſiturus, permanere, ſi divinis vellet obtemperare mandatis; quam eam amittere, ſi nollet. Quod erat deterius ſua maluit ſponte deligere, falſa perſuaſione deceptus, & quoniam caput erat humanæ propaginis conſtitutum, amiſſo bono indebito, quo fuerat a benigniſſimo patre donatus, malis omnibus, quibus obnoxii ſumus, viam latiſſimam aperuit.

37

Diximus ſuperius, ex elementis repugnan-

gnantibus[a] *hominis conſtare naturam. Corpus enim, quæ terra eſt*[b], *comprehenſibile eſt, temporale, brutum, atque tenebroſum eſt. Anima vero, quia de cælo eſt, tenuis*[c], *æterna*[d], *ſenſibilis*[e], *illuſtris*[f] *eſt.*

Quæ

---

a *Ex elementis repugnantibus*. Non heic de ſolo corpore Noſter intelligendus eſt, quod elementis primis, eorundemque qualitatum permiſtione conſtare, philoſophi docuerunt: ſed de partibus potiſſimis, quibus totum humanum opificium eſt compoſitum; anima ſcilicet & corpore, ſeu ſpiritu, & materia, ut ſtatim author exponit, & ſæpe in libris ſuperioribus docuit.

b *Corpus enim, quæ terra eſt*. Al. *quod*. Al. *quia*, Al. *quoniam*. Noſtram lectionem propugnat Bunem., eamque exemplo vindicat Ciceronis.

c *Tenuis, æterna, ſenſibilis, illuſtris eſt*. Ne prolixius, quam par eſt procederemus, has animæ noſtræ dotes exponendas ita heic aſſumimus, ut per eas etiam corporis affectiones proxime ab authore recenſitæ queant unico contextu explanari. *Tenuis* ergo contraponitur *comprehenſibili*, & *corporeo*; & idem valet, ac *ſenſibus materialibus omnino incomprehenſibilis*. Secundum quam acceptionem: *ſpes tenuis, ſuſpicio tenuiſſima*, & *dubitatio* a Cicerone dicitur. Et Job. XVII. ℣. 1. legitur: *Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur* &c.

d *Æterna*: opponitur *temporali*, & *caduco*, ideoque heic ſumitur pro re, quæ eſt fine caritura, & immortalis, atque incorruptibilis; quemadmodum in

in ſcripturis dicitur *ignis æternus*, etſi a conſtitutione mundi Diabolo, & Angelis ejus parato.

e *Senſibilis*. Contraponitur *Bruto*, quod, ut alibi innuimus, non ſemper omni prorſus ſenſu; ſed proprie ſola caret intelligentia. Sic Lib. II. cap. IX. ſeg. 38. *ſapiens ex Bruto*. Interdum vero Terra, arbores, fulmina, *Bruta* dicuntur, & ſic materiæ etiam hocce vocabulum congruit ſenſu experti.

f *Illuſtris*. Opponitur *Tenebroſo*; utrumque tamen vocabulum eſt heic metaforice uſurpatum; illud fortaſſe pro *nobili*, iſtud pro *vili*, & *abjecto*. Secundam quas acceptiones Virgil. ait æn. VI. ℣. 758.

Illuſtres animas, noſtrumque in nomen ituras.

Et Cicero: *Oratione pro Archia*, inquit: *quæ jacerent in tenebris omnia, niſi literarum lumen accenderet*. Adde quæ a nobis annotata ſunt ad Lib. II. cap. X. Hæc enim mutuo ſeſe exponunt, atque declarant.

38

Quæ quia inter ſe contraria ſunt [a] *neceſſe eſt hominem bono* [b], *& malo eſſe ſubjectum*

a *Quia inter ſe contraria ſunt*: Ideo Apoſtolus ajebat Ad Rom. VII. 23. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*. Et ad Galat. V. ℣. 17. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*.

b *Neceſſe eſt hominem bono, & malo eſſe ſubjectum*. Non tamen hinc ſequitur, etiam Adamo non pec-

ctum. Animæ adſcribitur bonum, quia indiſſolubilis eſt: corpori malum, quia fragile eſt. Quoniam igitur ſociata, & conjuncta ſunt corpus, & anima; æque bonum & malum cohæreat neceſſe eſt [c]*: nec ſeparari alterutro poſſunt, niſi quum illa ſeparata ſunt* [d].

---

peccante, eum, & nos malis, quibus nunc affligimur fuiſſe obnoxios, uti adverſus Julian. egregie diſputat Auguſtinus Lib. VI. num. XXXXIX. *Oper. imperf.* ſic eum alloquens: *Numquid ideo moriturus fuerat Adam, etiamſi non peccaſſet, quia in corpore animali, non ſpiritali, erat factus? Prorſus erras: Lignum enim vitæ, quod in Paradiſo ſuo plantavit Deus, etiam corpus animale defendebat a morte, donec perſeverantis obedientiæ merito, in gloriam ſpiritalem, quam reſurgentes habituri ſunt juſti, ſine morte interveniente tranſiret. Juſtum enim erat, ut imago Dei nullo fuſcata, & obſoleta peccato, tali inſeretur corpori, quamvis de terrena materia creato, atque formato, ut ei de ligno vitæ ſubminiſtrata ſtabilitas permaneret, ac viveret interim per animam viventem, quam nulla ab illo neceſſitas ſepararet; atque inde propter innocentiam cuſtoditam, ad vivificandum ſpiritum perveniret: ita, ut non ei ſubtraheretur hæc vita minor, ubi & mori, & non mori poſſet* &c.

c *Æque bonum, & malum cohæreat neceſſe eſt.* Quamquam malum nihil aliud eſt, quam privatio boni, quæ mutuo ſe excludunt, quemadmodum lux, & tenebræ; nihilominus ſæpe a Noſtro ita conjun-

ĉta eſſe dicuntur, ut unum nequeat, alio pereunte, ſalvari, vel in hoc ſenſu, quatenus in hac vita homo habet in ſe cauſſam utriuſque: vel in eo, quod virtus tollerantiæ, & bonum ejus, ſicuti etiam & pœnitentiæ, eſſe non poſſunt, ubi & malum pœnæ, & malum culpæ non fuerit.

d *Niſi quum ſeparata ſunt*. Scilicet elementa illa corpus, & anima. Quandiu enim conjuncta remanent, & iis ſpoliata donis, quibus per peccatum privatus fuit homo, invicem repugnare, neceſſe eſt.

39

Denique boni, malique notitia ſimul homini primo data eſt [a]. *Qua percepta, ſtatim de loco ſancto pulſus eſt, in quo malum non eſt. Ubi cum eſſet in bono tantum, id ipſum bonum eſſe ignorabat* [b].

Poſt-

a *Boni, malique notitia ſimul homini primo data eſt*. Prævaricato divino præcepto novit Adam & bonum, quod amiſerat, & malum, cui factus erat ſua culpa obnoxius, & privatio unius interpetratio evaſit alterius, ut Noſter ſuperius ait ſeg. 30. (c).

b *Id ipſum bonum eſſe ignorabat*. Hoc idem innui videtur in Pſal. XLVIII ℣. 12., & 21. *Homo quum in honore eſſet non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Ubi Hebræi legunt: *non pernoctavit*: quod Rabbini exponunt: quoniam

niam Adam circa meridiem judicatus, & a Paradiſo expulſus ante veſperum fuit. Unde Chryſoſt. *Homil.* XII. *de Creat. Homin.* ait: *Primum Adam patravit peccatum, & poſt peccatum ſe occultavit. Neque enim erant literæ, non lex, non Moyſes: unde igitur novit peccatum, ut ſe abſconderet?* Nimirum quia de ligno comederat, de quo ne comederet, Deus juſſerat illi, appellaveratque arborem *ſcientiæ boni, & mali*: Gen. III. ℣. 7. *Et aperti ſunt oculi amborum*. Non quod cœci producti eſſent, ut quidam ſomniarunt Rabbini. Sed quia noverunt malum, quod antea ignorabant.

40

Poſtquam vero accepit boni, malique intelligentiam, jam nefas[a] *erat, eum in beatitudinis loco morari: relegatuſque eſt in hunc communem orbem, ut ea utraque ſimul experiretur, quorum naturam pariter agnoverat.*

a *Jam nefas*. Al. *ita nefas*.

41

Apparet[a] *ergo, iccirco datam eſſe homi-*

a *Apparet ergo iccirco datam eſſe homini ſapientiam* &c. experimentalem ſcilicet, ne ſe iis traderet deinceps, quæ nociva eſſe ſuo periculo didicerat.

mini ſapientiam, ut bonum diſcernat a malo: ut ab incommodis commoda, ab inutilibus utilia diſtinguat: ut habeat judicium, & conſiderantiam, quid cavere, quid appetere, quid fugere, quid ſequi debeat. Sapientia igitur conſtare ſine malo non poteſt [a].

a *Sapientia igitur conſtare ſine malo non poteſt*. Intellige, ut ſupra, de mali intelligentia illa, quæ proprio acquiritur experimento.

42

Vixitque ille princeps generis humani, quandiu in ſolo bono fuit, velut infans, boni ac mali neſcius [a]. *At enim poſtea hominem neceſſe eſt & ſapientem eſſe, & ſine ullo malo beatum* [b]. *Sed id fieri non poteſt, quandiu anima domicilio corporis induta eſt.*

a *Velut infans, boni, & mali neſcius*. Infantes fruuntur bonis, affliguntur malis; at neſciunt quid malum ſit, niſi quum eo afficiuntur. Bonum autem eatenus ignorant, quatenus eo ſentiunt ſe ſpoliari.

b *Neceſſe eſt & ſapientem eſſe, & ſine ullo malo beatum*. Nimirum quicumque beatum fieri poſt mortem meruerit, neceſſe eſt, ut ſapiens ſit, quoniam in Dei cognitione beatitudo conſiſtit; & omni malo careat, quoniam ſummi, ac perfectiſſimi boni particeps factus eſt.

43

Quum vero factum fuerit corporis animæ.

mæque diſcidium [a], *tunc malum a bono ſeparabitur* [b]. *Et ſicut corpus interit, anima manet, ita malum interibit, & bonum permanebit: Tunc homo accepto immortalitatis indumento* [c], *erit ſapiens, expers mali* [d], *ſicut Deus. Qui ergo* [e] *vult nos in bono eſſe tantum, id potiſſimum deſiderat, ut ſine corpore vivamus* [f], *in quo eſt malum.*

F 3 *Quod*

a *Corporis, animæque diſcidium*. Al. *diſſidium*, quæ eſt obvia librariorum ignorantium permutatio.

b *Tunc malum a bono ſeparabitur*: Scilicet corpus ab anima, & quicquid hæc per illud pati cogebatur, dum eidem in hac mortali vita fuerat copulata.

c *Tunc homo accepto immortalitatis indumento* &c. Tranſit heic Lactantius ad beatorum reſurrectionem, ut doceat, quod ſeg. 27. oſtendendum aſſumpſerat: Nempe, quod Deus coli ſe expetit, *& honorari ab homine, tamquam Pater, ut virtutem, ac ſapientiam teneat, quæ ſola immortalitatem parit* &c. Ad illud Apoſtoli reſpiciens: 1. ad Corinth. xv. 53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem* &c.

d *Erit ſapiens, expers mali, ſicut Deus*. Al. *quis ſicut Deus?* Al. duo poſtrema verba omittunt: Sed male; nam Tò *ſicut* non importat heic æqualitatem, ſed ſimilitudinem, de qua Apoſtolus, & Evangeliſta Johan. Epiſt. 1. cap. III. 2. *Quum apparuerit, ſimiles ei erimus*.

e *Qui ergo*. Al. *quis ergo*.

f *Ut ſine corpore vivamus* &c. Non abſolute; ſed ſine

ſine eo corpore, *in quo eſt malum*. I. E. quod ab Apoſtolo dicitur: *Corpus peccati*. A peccato ſcilicet depravato; & morti obnoxio: Ad. Rom. VIII. 24. *Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

44

Quod ſi tollatur [a], *aut ſapientia homini, ut dixi, aut corpus adimetur: ſapientia, ut ignoret malum: corpus, ut non ſentiat. Nunc autem quum homo & ſapientia ſit inſtructus, ut ſciat: & corpore, ut ſentiat: utrumque pariter in hac vita Deus eſſe voluit, ut ratio virtutis, ſapientiæque conſtaret.* Po-

a *Quod ſi tollatur* &c. Nempe *malum*, cujus preſſuris in hac vita angimur. Siquidem eo ſublato, Jam nemo id poſſet experiri, & omnis pugna illa ceſſaret, in qua poſiti ſumus, ut victores ſimus, & coronari mereamur, ſecundum id, quod dictum eſt: *Certamen forte dedit illi, ut vinceret*. Sap. x. 12.

b *Ut ratio virtutis, ſapientiæque conſtaret*. In hac vita, fortiſne, an prudens, temperanſne, an Juſtus, ſapienſne, an ſanus &c. cenſendus eſſet homo aliquis, ignoraremus, niſi iis contraria eſſent, ex quorum oppoſitione illa coſtarent. Iccirco Tobiæ XII. ℣. 13. ab Angelo dictum eſt: *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te*. Hinc enim grandia illa, & illuſtria virtutem heroicarum exempla

pla, quibus ſupra cæteras omnes Sectas Religio noſtra gloriatur, originem traxerunt; quum ſcilicet viri, ac mulieres, eadem, qua nos carne induti, in nullo graviſſimorum certaminum genere de ſumma victoriæ gloria alicui deceſſerunt hoſti.

45

Poſuit itaque hominem inter utrumque medium, ut haberet licentiam vel mali, vel boni ſequendi [a]. *Sed malo admiſcuit apparentia quædam bona* [b], *id eſt, varias, &* *delo-*

a *Ut haberet licentiam vel boni, vel mali ſequendi*. Expreſſe in Eccleſ. legitur xv. 14. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata, & præcepta ſua* &c. ℣. 18. *Ante hominem vita, & mors: bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi* &c. *Licentiæ* vocabulum apud Latinos, ut plurimum in malam partem uſurpatur, *licentioſus* enim dicitur diſſolutus: Cicero tamen nos ab omni ſcrupulo liberat, qui pro eo, quod dicitur permiſſio illud adhibuit *L. III. Offic.* inquiens: *Nobis autem noſtra Academia magnam licentiam dat, ut quodcumque maxime probabile occurrat, id noſtro jure liceat defendere*: Vide Vallam Lib. IV. cap. XVII. *Elegant*.

b *Sed malo admiſcuit apparentia quædam bona* &c. Voluntas humana per deſiderium, & amorem ferri non poteſt, niſi ad bonum; ſicuti per averſionem, & fu-

delectabiles ſuavitates, ut earum illecebris induceret hominem ad latens malum [c]. *Bono autem admiſcuit apparentia quędam mala, id eſt, ærumnas, & miſerias, & labores, quorum aſperitate, ac moleſtia offenſus animus refugeret a bono latenti.*

Hic

& fugam nequit niſi a malo recedere, ideoque numquam malum ſub ratione mali appetit: nec bonum reſpuit ſub ratione boni. Sed quoniam in electione bonorum particularium libera eſt: & inter hæc quædam potius carni, quam ſpiritui, & contra quædam ſpiritui potius, quam carni congruant, & quæ uni grata, ingrata alteri videantur; hinc mala miſta bonis eſſe dicuntur ea, inter quæ medius verſatur homo, qui vel diſſimulato malo ad bonum ſe convertit, quod magis appetit, vel diſſimulato bono, a malo avertitur, quod ſubire, recuſat. Hic eſt ſenſus Lactantii genuinus tam heic, quam alibi, ut Diſſ. XXVIII. cap. VII. ſ. XIV. ſeq.

c *Ut eorum illecebris induceret hominem ad latens malum.* Verbum *Induco* ſtat heic pro *allicio*, & ideo, quum ex dictis malum ſub ratione mali voluntatem ad ſe allicere nequeat, boni ſpeciem eſſe debebat id, a quo poſſet attrahi. Dicitur autem *latens* malum, & infra *latens* bonum, quia ut diximus, vel diſſimulatur, vel ignoratur dum inter utrumque verſamur. Audi Auguſtinum doctrinam hanc doctiſſime declarantem L. II. *de Peccat. Merit.*, *& remis*: NOLUNT HOMINES *facere quod juſtum eſt, ſive*

quia

quia latet, an juſtum ſit, ſive quia non delectat. Tanto enim quidque vehementer volumus, quanto certius, quam bonum ſit novimus, eoque delectamur ardentius. Ignorantia igitur, & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum. At non propterea ſequitur, eum vel immunem eſſe a culpa, quoties id proſequitur amore, quod reſpuere debebat, & id refugit, quod tenebatur adimplere; vel ideo peccare, quia vitare non poteſt, quod ſibi vetatur; Nam, ut idem S. Doctor ſtatim addit: *Ut autem innoteſcat, quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates; qua, ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſſa eſt, non in Deo.*

46

Hic ergo ſapientiæ officium deſideratur, ut plus mente videamus quam corpore: quod pauci admodum facere poſſunt[a]*: quia & virtus difficilis, ac rara eſt, & voluptas communis, ac publica. Ita neceſſe eſt, ſapientem proſtulto haberi, qui dum appetit bona, quæ non cernuntur, dimittit e manibus, quæ videntur: & dum vitat mala, quæ non aſpiciuntur, incurrit in mala, quæ ante oculos ſunt.*

Quod

a *Quod pauci admodum facere poſſunt.* Id eſt: *quod pauci faciunt*: potentia ſcilicet, quam ſcholæ *conſequentem appellant*.

47

Quod accidit nobis, quum neque cruciatum, neque mortem pro fide recuſamus, quando ad ſummum nefas compellimur [a], *ut prodita fide, atque abnegato Deo vero, Diis mortuis, mortiferiſque libemus: Hæc ratio eſt, cur hominem Deus & mortalem fecerit* [b], *& malis ſubjecerit: licet ipſius cauſſa mundum ædificaſſet, ſcilicet ut virtutem caperet* [c], *& ei virtus ſua immortalitatem daret. Virtus autem, ſicut oſtendimus* [d], *veri Dei Cultus eſt* [e].

CAP.

---

a *Quando ad ſummum nefas compellimur*. Scilicet ab Eccleſiæ Dei perſecutoribus, a quibus Lactantii ætate Fideles Chriſti ferociſſime vexabantur.

b *Cur hominem Deus & mortalem fecerit*: &c. Intellige ſecundum expoſitionem, quam ſuperius dedimus ſeg. 14. (b), & 15. (a), qua non ſolum vitatur error eorum, qui dicebant, hominem moriturum, etiamſi Adam non peccaſſet, ſed etiam illorum exploditur temeraria, & homine Chriſtiano indigna opinio, quæ docet, immortalitatem primi hominis naturalem fuiſſe, atque ex principiis naturæ integræ manaſſe, ut aliquando Bajus dogmatizaſſe, & poſtea revocaſſe, notum eſt.

c *Scilicet, ut virtutem caperet* &c. Nimirum gratiam, quæ per Spiritum Sanctum in cordibus noſtris diffunditur, de qua Chriſtus Apoſtolis loquens: *Vos*

Vos autem, inquit, *ſedete in Civitate, quoad uſque induamini virtute ex alto*. Luc. xxiv. 49.

d *Sicut oſtendimus*. Superius nempe ſeg. 22.

e *Veri Dei cultus eſt*. Hactenus oratio illa, quam antiqui Mss. Codices, plurimique prelo editi non habent. Eam ut ſpuriam rejiciunt Thomaſius, Iſæus, Gallæus, Thyſius, & tamquam ab aliquo Manichæorum, bene literato heic ſumma calliditate aſſutam. Ego vero, ut ingenue fatear, nihil tale in ea deprehendere potui, nec facile quiſquam id mihi aliquando perſuadere poterit, quum nihil in ea Lactantius aſſerat, quod alibi non docuerit. Immo manca eſſet tota ejus de primo homine, ac de ſtatu, in quo creatus eſt, diſputatio, ſi hæc omnia auferantur, ut Diſſ. xxxiv. cap. II. §. 11. ſeq. demonſtratum eſt.

C A P. V I.

§ 1

NUnc totam rationem brevi circumſcriptione ſignemus: icc irco mundus factus eſt [a], ut naſcamur: ideo naſcimur, ut agnoſcamus factorem mundi, ac noſtri Deum: ideo

a *Iccirco mundus factus eſt* &c. Quæ hucuſque dixerat, brevi epilogo, & gradatione concinna, & eleganti colligit Noſter, ut inde vehementius in Epicureos, ac in Deorum cultores pleno impetu ferri queat.

ideo agnoſcimus, ut colamus; ideo colimus, ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus [c], quoniam maximis [d] laboribus cultus Dei conſtat: ideo præmio immortalitatis afficimur, ut ſimiles angelis effecti, ſummo patri, ac Domino in perpetuum ſerviamus, & ſimus æternum Deo regnum.

Hæc

---

b *Ideo naſcimur*. Ad Epitom. Cap.LXIX. Seg.I. Al. Cap.VII. S.Orientius, ſive Orentius Illiberitanus Epiſcopus, cujus meminit Sidonius Apollinaris Lib.IX. Epiſt.XII. *in Commen.* quod primus edit, & notis illuſtravit Martinus Delrio, a Bunem. laudatus, locum hunc vincta numeris oratione ſic eleganter expreſſit: Lib.I. a ℣.59.

Naſcimur, ut Dominum cæli, terræque, mariſque.
Quæramus toto pervigiles ſtudio.
Quærimus, ut quis ſit, qualis, vel quantus, agat quid
Poſſimus vero noſcere judicio.
Noſcimus, ut digna compertum laude colamus.
Ut vitam tribuat perpetuam colimus.

c *Ut immortalitatem pro mercede laborum capiamus*. Sæpe Lactantius, & ſatis luculenter docuit, Animam rationalem morti non eſſe ſubjectam: iccirco non eſt heic ſuſpicioni locus, eum in illorum errore verſatum fuiſſe, qui dixerunt, animam una cum corpore vel perire, vel ab omni operatione ceſſare donec, ſi bene in corpore ſe geſſerit, mereatur in die judicii illud immortale ſibi reddi, atque una cum Chriſto æternum in cæleſti regno gaudere.

d *Quoniam maximis* &c. Schottus *quia*.

2

Hæc ſumma rerum eſt [a], hoc arcanum Dei, hoc myſterium mundi; a quo ſunt alieni, qui ſequentes præſentem voluptatem terreſtribus, & fragilibus ſe bonis addixerunt, & animas ad cæleſtia genitas, ſuavitatibus mortiferis, tanquam luto, cœnove demerſerunt.

---

a *Hæc ſumma rerum eſt. Hoc arcanum Dei. Hoc myſterium mundi.* Ex his loquendi modis licet jam intelligere, quid ſibi Noſter velit, quum iſtorum aliquod ſeparatim uſurpat.

3

Quæramus nunc viciſſim, an in cultu Deorum ratio ulla ſubſiſtat: qui ſi multi ſunt [a]; ſi ideo tantum ab hominibus coluntur, ut præſtent illis opes, victorias, honores, quæque alia [b] non niſi ad præſens valent: ſi ſine cauſſa gignimur[c]; ſi in hominibus procreandis providentia nulla verſatur; ſi caſu

---

a *Qui ſi multi ſunt*. Schottus: *qui ſimulati ſunt*. Al. *qui ſi multi nati ſunt*: Heum. his omnibus abraſis. *Qui ſi ideo tantum* &c. Vide infra Seg.8.

b *Honores, quæque alia*: Al. *& quæ alia* Al. *& quæque alia, quæ*.

caſu; ſi nobiſmet ipſis, ac voluptatis noſtræ gratia [d] naſcimur; ſi nihil poſt mortem ſumus: quid poteſt eſſe tam ſupervacuum, tam inane, tam vanum, quam humana res & quam mundus ipſe [e]? qui, quum ſit tam incredibili magnitudine, tam mirabili ratione [f] conſtructus [g], tamen rebus ineptis vacet.

c *Gignimur* Schottus; *gignuntur*. Al. *gignimus*.

d *Si caſu; ſi nobis met ipſis, ac voluptatis noſtræ gratia* &c. Al. *ſi caſu nobis met ipſis*. Schottus nobiſcum legit.

e *Quam humana res, & quam mundus ipſe?* Al. *Quam humana res eſt, quam mundus ipſe?* Al. *res eſt*, & *Quam mundus iſte?* Aldus, & Schottus noſtram ſequuntur lectionem.

f *Tam mirabili ratione*. Al. *tum mirabili*. Schottus legit nobiſcum, & etiam Aldus.

g *Conſtructus*. Al. *conſtitutus*. Al. *continuatus*.

4

Cur enim Ventorum [a] ſpiritus citent nubes [b]? cur emicent fulgura [c]? tonitrua mugiant?

a *Cur enim*. Al. *cur etenim*. Schottus nobiſcum legit.

b *Citent nubes*. Al. *cient*. Male; Nam Colum. de R.R. Lib. VII. c. IX. num. 9. *Ne immaturis herbis citetur alvus*. Celſus Lib. IV. cap. VI. *Humorem illuc citet*. Item

giant ? imbres cadant [d] ? ut fruges terra producat ? ut varios fœtus alat ? Cur denique omnis natura rerum laboret,ne quid deſit earum rerum , quibus [e] vita hominis ſuſtinetur , ſi inanis , ſi ad nihilum interimus , ſi nihil eſt in nobis majoris emolumenti Deo ?

Item Lib. v. cap. xvii. *& pus citet*. Id eſt ; *efficiat, ut illuc confluat*.

c *Emicent fulgura? tonitrua mugiant?* Vide Tertull. Apolog. c. xi. & Minuc. Felic. c. v.

d *Imbres cadant* : Bon. *in membris cadant*.

e *Quibus vita hominis*. Schottus. *hominum*.

5

Quod ſi eſt dictu nefas , nec putandum eſt fieri poſſe , ut non ob aliquam maximam rationem fuerit conſtitutum , quod videas [a] maxima ratione conſtare ; quæ poteſt eſſe ratio in his erroribus pravarum religionum , & in hac perſuaſione Philoſophorum , qua putant,animas interire ? Profecto nulla .

a *Quod videas*. Al. *quod videamus*. Al. *videmus*.

6

Quid enim habent dicere , cur Dii hominibus tam diligenter ſuis quæque temporibus exhibeant ? An ut illis , far , & merum de-

demus [a], & odorem thuris, & ſanguinem pecudum? quæ neque immortalibus grata eſſe poſſunt, quia ſunt fragilia: neque uſui eſſe expertibus corporum [b], quia hæc ad uſum corporalium data ſunt. Et tamen ſi ea deſiderarent, ſibi ipſi poſſent exhibere, quum vellent.

---

a *An ut illis far, & merum demus* &c. Gallæus, & ex eo Walchius: *Far inquit eſt vocabulum generale, quo omnia frumenti genera deſignantur, ut far triticeum; far ordeaceum* &c. Falluntur tamen; nam *far* eſt frumenti genus, quo palmenta fiunt, & quoties nihil additur, pro eo ſumi debet. Eo Ethnici in ſacrificiis utebantur, Unde Virgil. L. v. a ℣. 743.

Hæc memorans cinerem, & ſopitos ſuſcitat ignes,
Pergameumque Larem, & canæ penetralia Veſtæ
Farre pio, & plena ſupplex veneratur acerra.

Ubi notat Servius: *Vel quia exinde ſacrificabant, vel quia mos fuit apud majores, ut divinum ignem farre ſervarent, qui ſi duraſſet in alterum diem, eum aptum agendis rebus ſignificabant. Far autem, frumenti certa ſpecies eſt, ſicut Adoreum.* Horatius L.III.c.XXIII.

Non ſumptuoſa blandior hoſtia
Mollibit averſos Penates
Farre pio, & Saliente mica.

b *Expertibus corporum.* Al. *inexpertibus.*

7

Sive igitur intereunt animæ, ſive in æternum manent: quam rationem continet cul-

cultus Deorum? aut a quo mundus conſtitutus eſt [a]? cur, aut quando, aut quouſque, quatenus [b] homines, aut quamobrem procreati? cur naſcuntur, intereunt, ſuccedunt, renovantur? Quid Dii ex cultibus eorum aſſequuntur, qui poſt mortem [c] nihil futuri ſunt? quid præſtant? quid pollicentur? quid minantur aut hominibus, aut Diis dignum?

a *Conſtitutus eſt*. Al. *factus*. Al. *conſtructus*.
b *Aut quouſque, quatenus*. Al. primum, Al. ſecundum adverbium delent.
c *Qui poſt mortem*. Al. *poſt obitum*. Quæ verba commutantur cum iis, quæ habentur in fine hujus ſegmenti.

8

Vel, ſi manent animæ poſt mortem, quid de his faciunt, facturive ſunt? quid illis opus eſt theſauro animarum [a]? ipſi illi ex quo fonte oriuntur? quomodo, aut quare, aut unde multi ſunt?

a *Theſauro animarum*. Loquitur ſecundum ſententiam illorum, qui animas rationales jam pridem ſimul una creatas, in communi quadam cuſtodia detentas, forte deinde ſingulæ ſingulis dabantur hominibus, qui naſcebantur.

9

Ita ſit ut ſi ab illa rerum ſumma, quam ſuperius comprehendimus, aberraveris, omnis ratio intereat, & ad nihilum omnia reſolvantur [a].

a *Reſolvantur*. Al. *revolvantur*. Aldus *reſolvant*.

CAP. VII.

1

QUam ſummam quia Philoſophi non comprehenderunt [a], nec veritatem comprehendere potuerunt, quamvis ea fere, quibus ſumma ipſa conſtat, & viderint, & explicaverint: ſed diverſi, ac diverſe illa omnia protulerunt, non adnectentes [b], nec cauſſas rerum, nec conſequentias [c], nec rationes, ut ſummam illam, quæ continet univerſa, & compingerent, & implerent.

Fa-

a *Nec veritatem comprehendere potuerunt*. Bon. *comprehenderunt*.

b *Non adnectentes*. Al. *non advertentes*.

c *Conſequentias* Bon. & Aldus: *conſequentia* Al. *conſequentiam*. Al. *conſequentias*.

2

Facile eſt autem docere, pene univerſam veritatem per Philoſophos, & ſectas [a] eſſe diviſam. Non enim ſic Philoſophiam nos evertimus [b], ut Academici ſolent, quibus ad omnia reſpondere propoſitum eſt, quod eſt potius calumniari, & illudere [c]; ſed docemus, nullam ſectam fuiſſe tam deviam, nec Philoſophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero.

a *Per Philoſophos, & ſectas*. Al. *per Philoſophorum ſectas*.

b *Sic philoſophiam nos evertimus*. Bon. *ſic evertimus*.

c *Calumniari, & illudere*. Al. *& invidere*. Al. *illıdere*.

3

Sed dum contradicendi ſtudio inſaniunt, dum ſua etiam falſa [a] defendunt, aliorum etiam vera ſubvertunt: non tantum elapſa illis veritas eſt, quam ſe quærere ſimulabant, ſed ipſi eam potiſſimum ſuo vitio perdiderunt.

a *Dum ſua etiam falſa*. Bon. *dum ſuadæ etiam falſæ*.

4

Quod ſi extitiſſet aliquis, qui veritatem ſparſam per ſingulos, per ſectaſque diffuſam colligeret in unum, ac redigeret in corpus, is profecto non diſſentiret a nobis [a]. Sed hoc nemo facere, niſi veri peritus, ac ſciens, poteſt. Verum autem non niſi ejus ſcire eſt, qui ſit doctus a Deo.

a *Is profecto non diſſentiret a nobis*. Quantum ad ea, quæ naturæ limitibus coercentur, nihil eſt, quod a nobis propugnetur ſive in phyſicis, ſive in moralibus eſt, quod etiam non ſit ab aliquo Philoſophorum, leviter ſaltem, tactum; Imo recentiores iſti ſyſtematum novorum confarcinatores nihil in ſcholas hactenus invexerunt, quod ab antiquioribus non fuiſſet aut exploſum, aut receptum.

5

Neque enim [a] poteſt aliter repudiare quæ falſa ſunt, eligere ac probare quæ vera; ſed ſi vel caſu id efficeret, certiſſime Philoſopharetur: & quamvis non poſſet divinis teſtimoniis illa defendere, tamen ſeipſam veritas illuſtraret ſuo lumine.

Qua-

a *Neque enim*. Al. *nemo enim*.

6

Quare incredibilis eſt error illorum, qui, quum aliquam ſectam probaverint, eique ſe addixerint, cæteras damnant, tanquam falſas, & inanes, armantque ſe ad præliandum [a], nec, quid defendere debeant, ſcientes, nec quid refutare: incuſantque [b] paſſim ſine delectu omnia, quæ afferunt quicumque diſſentiunt.

a *Ad præliandum*. Al. *ad probandum*. Al. *ad prædicandum*.
b *Incuſantque*. Al. *incurſantque*.

7

Ob has eorum pertinaciſſimas contentiones nulla extitit Philoſophia, quæ ad verum propius accederet: nam particulatim veritas ab his tota [a] comprehenſa eſt.

a *Ab his tota*. Al. *ab iis mota*.

8

Factum eſſe mundum a Deo, dixit Plato [a]. Idem Prophetæ loquuntur [b]: idemque ex

G 3

a *Dixit Plato*. Vide, quæ diximus ad Lib. I. cap. IV. ſeg. *6*.

ex Sibyllæ carminibus apparet. Errant igitur qui vel omnia ſua ſponte nata eſſe dixerunt, vel minutis ſeminibus [c] conglobatis: quoniam tanta res, tam ornata, tam magna neque diſponi, neque fieri, neque ordinari ſine aliquo prudentiſſimo authore potuit: & ea ipſa ratio, qua conſtare, ac regi omnia ſentiuntur, ſolertiſſimæ mentis artificem confitetur.

b *Idem Prophetæ loquuntur*. Scilicet in Scripturis ſanctis. Geneſ. 1. Pſal. xxxii. Eccl. xviii. &c. Non enim heic de Paganorum vatibus erat loquendi locus, uti viſum eſt Walchio.

c *Vel minutis ſeminibus* &c. Vide ad L.III.c.xvii.

9

Hominum cauſſa mundum, & omnia quæ in eo ſunt, eſſe facta, Stoici loquuntur [a]: idem nos divinæ literæ docent. Erravit ergo Democritus [b], qui vermiculorum modo putavit, homines [c] effuſos eſſe de terra, nullo autore, nullaque ratione.

a *Stoici loquuntur*. Apud Cicer. *in Lucul*, & *de Nat. Deor.* cap. II. Vide de *Ira Dei* cap. xiii.

b *Democritus*. Vide ſupra ad Lib. II. cap. xii.

c Vox iſta ex membranis Monaldinianis reſtituta eſt.

10

Cur enim formatus ſit homo, divini ſacra-

crementi eſt [a] : quod quia ille ſcire non poterat, humanam vitam deduxit ad nihilum.

---

a *Divini Sacramenti eſt*. Scilicet abſconditum, & Deo ſoli notum.

11

Ad virtutem capeſſendum naſci homines, Ariſton diſſeruit [a]: idem nos monemur, ac diſcimus a Phophetis.

---

a *Ariſton diſſeruit*. Al. legunt Ariſtoteles, & fortaſſe non male; nam ut bene obſervat Iſæus, Ariſtoteles apud Cicer. L. II. de *Finib.* hanc ſententiam habet: *Hominem ad duas res, ut ait Ariſtoteles, intelligendum, & agendum, eſſe natum*: De Ariſtone autem non eſt, quid certo dicere poſſimus; nam non conſtat, is ſit ne Ariſto Chius, an Ariſto Alexandrinus, quorum unus, ſecta Stoicus, alter Peripateticus fuiſſe dicitur. Vide notas ad Stanleji *Hiſt. philoſoph.* in Ariſtone, & Lambinum ad Cicer. L.v. *de Finib.* & Comm. ad Laert. Lib. VIII. ſeg.63.

12

Falſus igitur Ariſtippus [a] qui hominem voluptati, hoc eſt, malo, tanquam pecudes ſub-

a *Falſus igitur Ariſtippus*. Lib. III. cap. VII. de eo diximus.

ſubjugavit. Immortales eſſe animas Pherecydes [b], & Plato [c] diſputaverunt: hæc vero propria eſt in noſtra religione doctrina. Ergo Dicæarchus cum Demecrito erravit [d], qui perire cum corpore, ac diſſolvi argumentatus eſt. Eſſe

---

b *Pherecydes*. Bon. *Ferocides*. Iſæus *Phereocides*. Al. *Phoriades*. Male; Pherecydes enim, Philoſophorum antiquiſſimus, Pythagoræ Præceptor dicitur fuiſſe ab Abulpharajo pag 53., ejuſque imaginem affert Jacob. Gronovius *Theſ. Antiq. Græc. Tom. II.* Tab. XXXII. Is natione Syrus fuit, profeſſione Theologus, diſtinctus ab alio gentili ſuo Pherecyde, qui fuit profeſſione Aſtrologus, & Thaletis, teſte Tzetz, Præceptor, de quibus videndus eſt Laert. L. I. ſeg. 119. & Salmaſ. ad Solin. pag. 841. edit. Pariſ., nam & alium Pherecydem Athenienſem commemorant alii, Theogoniæ in X. libros partitæ, authorem; Imo & quartum, natione Lerium, ſunt qui recenſent; contra quos diſputat Voſſius L. IV. *de Hiſt. Græc.* c. IV., & Meurſ. *ad Hellad. Chreſtomath.* De noſtro hæc habentur apud Cicer. Lib. I. *Tuſc. quæſt.* cap. XVI. *Pherecydes Syrus primum dixit, animos hominum eſſe ſempiternos. Antiquus ſane; fuit enim meo regnante Gentili.* Sciiicet: *Servio Tullo*, VI. Romanorum Rege, qui primus cenſum egiſſe dicitur Olymp. LIII. an. I. V. C. CXVIII. Regni ſui XI. Vide Panv. in Faſtis.

c *Et Plato*. Sæpe hanc ſententiam Plato tradidit, præcipue in *Phædro*; in *Phædone* in X. *de Republ.*, & apud Cicer. Lib. I. *quæſt. Tuſcul.* &c.

Er-

d *Ergo Dicæarchus cum Democrito erravit*. De Democrito jam ſupra locuti ſumus ad Lib. III. c.XVIII. Dicaearchus autem fuit Siculus, Meſſanæ ex Phidia natus, & Ariſtotelis diſcipulus, qui de vitis Philoſophoorum ſcripſit, ut tradit Laert. in Platone, ac Lib. I. ſeg. 40. Suidas eum fuiſſe dicit Philoſophum, Rhetorem, & Geometram. De eo ſic Cicer. L. I. *Tuſc. quæſt. Acerrime autem deliciæ meæ Dicæarchus, contra hanc immortalitatem diſſeruit. Is enim treis libros ſcripſit, qui LESBIACI vocantur, quod Mitylenis ſermo habetur, in quibus vult efficere, animos eſſe mortales*. Immo, nullum eſſe homini, animum Dicœarchum docuiſſe, idem Cicero tradidit paullo ante: & etiam in *Tuſcul.* Plutarchus vero *de Plac. Phil.* refert, eum cenſuiſſe, animas noſtras ex elementis conſtare.

13

Eſſe inferos Zenon Stoicus docuit [a], & ſe-

a *Zenon Stoicus docuit*: Seneca de Stoicorum quibuſdam placitis interrogatus, Ep.iſt. CXVII.; quæ eſt tertia Libri XXI. ſic reſpondet: *Apud nos, veritatis argumentum eſt, aliquid omnibus videri: tamquam; Deos eſſe, inter alia ſic colligimus, quod omnibus de diis opinio inſita eſt; nec ulla gens uſquam eſt, adeo extra leges, moreſque projecta, ut non aliquos Deos credat. Quum de animarum æternitate diſſerimus, non leve momentum apud nos habet conſenſus hominum, aut timentium inferos, aut colentium* &c. Et quamvis alibi,

ſedes piorum ab impiis eſſe diſcretas [b]: & illos quidem quietas, ac delectabiles incolere regiones, hos vero luere pœnas in tenebroſis locis, atque in cæni voraginibus horrendis: idem nobis prophetæ palam faciunt. Ergo Epicurus erravit, qui poetarum id eſſe figmentum putavit [c]: & illas inferorum pœnas, quæ feruntur, in hac eſſe vita interpretatus eſt.

---

alibi, ut e. g. Ep. LXXXII. XXIV., & cap. XIX. *ad Marciam*, fabulam dicat, eos facere terribiles; eos tamen non negat; ſed potius irridet Poetas, quum canunt:

. . . . Janitor Orci
Oſſa ſuper recubans, antro ſemeſa cruento,
Æternum latrans exangues territat umbras

Vide Plutarc. in Lib. *de his, qui ſero a numine puniuntur*.

b *Et ſedes Piorum ab impiis eſſe diſcretas*: Tertullianus de *Anima* cap. XXXIV. *Stoici ſapientum animas in ſupernis manſionibus collocant*.

c *Qui Poëtarum, id eſſe figmentum putavit*: Nam Homer. Odiſſ. L.I. Virg. ænead. VI., Ovid. IV. Metam. &c. de Inferis multa commenti ſunt.

14

Totam igitur veritatem, & omne divinæ religionis arcanum Philoſophi attigerunt. Sed aliis refellentibus defendere id, quod

quod invenerant, nequivernnt, quia ſingulis ratio non quadravit [a]: nec ea, quæ vera ſenſerant, in ſummam redigere potuerunt, ſicut ſuperius nos fecimus.

---

a *Non quadravit*. Al. *inquadravit*.

C A P. V I I I.

1

UNum eſt igitur ſummum bonum immortalitas, ad quam capiendam, & formati a principio, & nati ſumus. Ad hanc tendimus [a], hanc ſpectat humana natura, ad hanc nos provehit virtus, quod bonum, quia deprehendimus, ſupereſt, ut etiam [b] de ipſa immortalitate dicamus.

---

a *Ad hanc tendimus*. Al. *& ad hanc* &c. Non enim finem, propter quem creati ſumus, perfecte conſequi, poſſumus, niſi immortales aliquando futuri eſſemus.
b *Supereſt, ut etiam*. Al. *ſupereſt etiam, ut*.

2

Platonis argumenta [a], quamvis ad rem mul-

---

a *Platonis argumenta*. Senſus verborum heic a La-

multum conferant, tamen parum habent firmitatis ad probandam, & implendam veritatem, quoniam nec rationem totius myſterii magni conſummaverat, in unumque collegerat, nec ſummum bonum comprehenderat. Nam licet verum de animæ immortalitate ſentiret, tamen non ita de illa, tanquam de ſummo bono diſſerebat.

Lactantio expreſſus, ex Græco Platonis exemplari ſic a Cicerone exhibetur *Lib. I. Tuſc. quæſt. & in Somn. Scipion.* Quod ſemper *movetur id æternum eſt. Quod autem motum affert alicui, quodque ipſum agitatur aliunde; quando finem habet motus, vivendi quoque finem habeat, neceſſe eſt. Solum igitur, quod ſe ipſum movet, quia numquam deſeritur a ſe, numquam ne moveri quidem deſinit.* Alibi etiam hæc eadem ab eodem recitantur. Al. *Platonis monumenta.*

3

Nos igitur certioribus ſignis elicere poſſumus veritatem [a], qui eam non ancipiti ſuſpicione collegimus, ſed divina traditione cognovimus.

a *Elicere poſſumus veritatem*. Sic etiam Schottus. Al. *eligere*. Noſtra lectio ſenſui congruentior.

4

Plato autem ſic argumentatus eſt: *Immor-*

mortale eſſe quicquid per ſeipſum & ſentit, & ſemper movetur [a] *: quod enim principium motus non habet, nec finem habiturum, quia deſeri a ſemetipſo non poteſt* [b]. Quod argumentum etiam mutis animalibus æternitatem daret, [c], niſi adjectione ſapientiæ diſcreviſſet [d]. Ad-

a *Et ſentit, & ſemper movetur*. Tò *ſentit*, nec in Platonicis, neque in Ciceronianis habetur exemplaribus. Abeſt etiam a Noſtri *Epitom.* cap. olim VII, nunc LXX.

b *Quia deſeri a ſemet ipſo non poteſt*. Fulvius Urſinus. *Quia & deſeri a ſemetipſo non poteſt. Sic*, inquit, *omnino legendum* ex Ciceron. VI. *de Republ. in quo eſt*: Solum igitur quod ſeipſum movet, quia numquam deſeritur, ne moveri quidem deſinit. Bon. *quia deſiderari; ſed ipſo* &c. Vide Platon. *in Phaedro*. & Thomaſ. heic hanc lectionem propugnantem, quam etiam Aldus laudat.

c *Etiam mutis animalibus daret* &c. Petrus Baelyus *Reſponſ. Aux. Quæſt. d' un Provinc.* Tom. I. cap. XII. pag. 83. ſeq. ex laudatis verbis, & ex iis, quæ in Phædro Platonis ſequuntur: *Omne enim corpus* &c. non ſolum animos hominum, & belluarum deduci, immortales eſſe; ſed etiam ingenitas, oſtendit; & in eo Lactantium reprehendit, quod omiſſo hoc ſecundo inconvenienti, Platonem excuſaverit de primo, *adjectione ſapientiæ*, de qua tamen ille ibidem mentionem non fecerat; ſed ſi attente Lactantium legas, videbis, eum omiſiſſe, quæ ad rem, de qua heic agitur, non erant; & ea excuſaſſe, quæ ex collatis Platonis ſententiis, poterant excuſari.

d *Diſcreviſſet*: Schottus. *ſecreviſſet*.

5

Addidit igitur [a], ut effugeret hanc communitatem: *fieri non poſſe, quin ſit immortalis*

[a] *Addidit ergo*. Schottus. *Addidit igitur*. Betulejus *Abdidit Miror*, inquit, *cur Gryphius genuinam lectionem corruperit*; ſed male: nam ſic Plato, non eodem loci, ſuperius laudati; ſed *in Phoedone*, ex quo hæc decerpſit, & diſpoſuit Cicero 1. *Tuſc.* cap. XXVII. *In Cat. Maj.* ſive in *Lib. de Senect.* cap. XXI. & in Lib. *de Conſol.*, ut Lact. de *Ira Dei* cap. X. ſeg. 45. refert. Quod quidem non ſolum non eſt reprehenſione dignum; ſed laude, & encomiis. Quoties enim alicujus authoris ſententiam quærimus, non id ſolum, quod alicubi dixit, eſt expendendum; ſed collatis omnibus, quæ ſparſim habet, eruenda, ac determinanda. Unde perperam Bælyus Lactantio tribuit, quod is ex Ciceronis lectione deceptus, incongrue Platonem defendendum ſuſceperit. Siquidem per hæc verba non Platonis apologiam Noſter inſtitere geſtit; ſed potius illius germanam ſententiam expoſuit. Poſſem etiam oſtendere, quod ex verbis, quæ ſtatim in Phædri dialogo ſequuntur, de ſcientia animæ rationalis non obſcure ſit mentio; ſed de hoc alibi.

b *Ut effugeret hanc communitatem*. Al. *comitatem*. Ubi Bunem. ſcite notat, quod quamvis *communis*, pro *comis* dici poſſit; non tamen *comis*, *comitas*, *comiter* pro *communis*, *communitas*, *communiter*, ex Cicer. authoritate iu Oratione pro Balbo cap. XVII.

talis animus humanus, cujus miranda ſollertia inveniendi, & celeritas cogitandi, & facilitas percipiendi [c], *atque diſcendi, & memoria præteritorum, & providentia futurorum, & artium, rerumque innumerabilium* [d] *ſcientia, qua cæteræ careant animantes, divina, & cæleſtis appareat.*

c *Et facilitas percipiendi, atque diſcendi.* Fulvius Urſinus: *videtur*, inquit, *legendum: & facilitas percipiendi, & capacitas diſcendi; nam in Epitome habetur: ad diſcendum capax.* Al. *& felicitas* &c. Al. *diſcernendi.*

d *Artium, rerumque innumerabilium.* Sic ex membranis Gothanis reſtituit Bunem. ubi alii cum Bon. legunt: *artium plerumque* &c. lectionem noſtram confirmo ex Cod. Ottobon. 196. f.

6

Quia origo animæ [a], *qui tanta capiat, & tanta contineat, nulla reperiatur in terra* [b], *ſiquidem ex concretione* [c] *terrena nihil habeat admiſtum: ſed neceſſe eſſe* [d] *in terram*

a *Et origo animæ.* Schottus: *animi.*

b *In terra.* Hæc ab Aldo delentur.

c *Ex concretione.* Al. *ex congreatione.* Al. *concreatione.*

d *Neceſſe eſſe.* Al. *neceſſe eſt.*

ram reſolvi, quod eſt in homine ponderoſum, & diſſolubile: quod autem tenue, atque ſubtile, id vero eſſe individuum, ac domicilio corporis, velut carcere liberatum, ad cælum, & ad naturam ſuam pervolare [e].

e *Ad naturam ſuam pervolare*. Hanc eandem ſententiam Plato habet, ubi ſupra ſeg. 5. (a) quod a Baelyo erat animadvertendum.

7

Hæc fere Platonis collecta breviter [a], quæ apud ipſum late, copioſeque explicantur. In eadem ſententia fuit etiam Pythagoras antea, ejuſque præceptor Pherecydes [b], quem Cicero [c] tradidit, primum de æternitate animarum diſputaſſe [d].

Qui

a *Hæc fere Platonis collecta breviter* &c. viderat ergo Lactantius Platonis opera, ex quibus iſta hæc collecta breviter exponebat, & non ex Ciceronis relatione deceptus, ſed prudenti diſcuſſione adhibita loquebatur.

b *Pythagoras antea, ejuſque præceptor Pherecydes*. De hac Pythagoræ ſententia vide dicta ad L. III. cap. XVIII. ſeg. 19. de Pherecyde autem cap. ſuperiori ſeg. 12. locuti ſumus.

c *Quem Cicero* &c. In Tuſcul. 1. cap. XVI.

d *diſputaſſe*. Al. *diſputaviſſe*.

8

Qui omnes licet eloquentia excellerent, tamen in hac dumtaxat contentione non minus authoritatis habuerunt, qui contra hanc ſententiam diſſerebant, Dicearchus primum [a]: deinde Democritus, poſtremo Epicurus [b]: adeo ut res ipſa, de qua inter ſe pugnabant, in dubium vocaretur.

a *Dicæarchus primum*. De eo diximus capite antecedenti ſeg. 12. (c), cumqe docuiſſe, animam hominum ex quatuor elementis conſtare, refert Plutarchus *de Plac. Phil.*, & nos oſtendimus Diſſ. XL. cap. XVIII. §. VIII.

b *Deinde Democritus, & Epicurus*: De iis ſæpe in antecedentibus, ac in iis, quæ adhuc illuſtranda ſuperſunt. Omnia poſtremo colliguntur Diſſ. XL. cap. XVI. §. V., & cap. XIX. §. I.

9

Denique & Tullius [a] expoſitis horum omnium de immortalitate, ac morte ſententiis, neſcire ſe quid ſit verum pronuntiavit: *Harum*, inquit, *ſententiarum quæ vera ſit, Deus aliquis viderit*. Et rurſus alibi [b] *Quoniam*

a *Denique & Tullius*. Nempe in *Tuſc.* 1. cap. II.

b *Et rurſus alibi*. Ubinam hæc dixerit Cicero non ſolum incertum, ut innuit Iſæus, verum etiam ignotum eſt omnino.

niam utraque, inquit, *earum ſententiarum doctiſſimos babuit authores; nec, quid certi ſit, divinari poteſt*.

10

Verum nobis divinatione opus non eſt, quibus veritatem divinitas ipſa patefecit [a].

---

a *Divinitas ipſa patefecit*. Diu agitatum eſt in ſcholis, an citra revelationem animæ rationalis immortalitas, queat demonſtrari. Vide Diſſ. noſtram xxv. cap. VIII. §. III.

C A P. I X.

1

HIs itaque [a] argumentis, quæ nec Plato, nec ullus alius invenit, animarum æternitas probari, ac perſpici poteſt, quæ nos breviter colligemus [b], quoniam properat oratio ad enarrandum judicium [c] Dei maximum, quod in terra propinquante ſæculorum fine celebrabitur.

Ante

---

a *His itaque*. Bon. *ſi is itaque*.

b *Colligemus*. Sic etiam Schottus. Al. *colligimus*. Al. *collegimus*.

c *Ad enarrandum judicium*. Hanc lectionem probat Schottus. Al. *ad narrandum*.

2

Ante omnia, quoniam Deus ab homine videri non poteſt, ne quis tamen ex eo ipſo putaret, Deum non eſſe, quia mortalibus oculis non videretur, inter cætera inſtitutorum ſuorum miracula [a], fecit etiam multa, quorum vis quidem appareret [b], ſubſtantia tamen non videretur, ſicut eſt vox, odor, ventus [c]: ut harum rerum argumento, & exemplo etiam Deus, licet ſub oculis [d] non veniret, de ſua tamen vi, & effectu, & operibus cerneretur.

---

a *Oculis non videretur, inter cætem inſtitutorum ſuorum miracula*. Al. *videtur*. Al. Tò *ſuorum* non habent. Intellige: inter res a Deo conditas, quæ heic miracula appellantur, quoniam vires omnes creatæ, ac creabilis naturæ omnino ſuperant.

b *Quorum vis quidem apparet*. Bon., & Aldus: *quorum multa vis .... appareret*. Hanc ultimam vocem habet etiam Schottus. Sicuti mox *videretur* Al. *videtur*.

c *Sicuti eſt vox, odor, ventus*. Attende ad ſimilitudinem effectus, non autem ad rerum naturam.

d *Sub oculis*. Al. *ſub oculos*. Utroque modo dici poteſt, & utrumque Noſtro uſitatum.

3

Quid voce clarius? aut vento fortius? aut odo-

odore violentius? Hæc tamen, quum per aerem feruntur, ad ſenſuſque noſtros veniunt [a], & eos potentia ſua impellunt, non cernuntur acie luminum, ſed aliis corporis partibus ſentiuntur.

a *Senſuſque noſtros veniunt*. Schottus: *perveniunt.*

4

Similiter Deus non aſpectu nobis, alio-ve fragili ſenſu comprehendendus eſt, ſed mentis oculis intuendus, quum [a] opera ejus præclara, & miranda videamus.

a *Sed mentis oculis intuendus, quum* &c. Jam illud ad Rom. I. ℣. 20. *Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellectu conſpiciuntur* &c. Et Philo Περιμοναρχίας 1. *Artifex ex artefacto noſcitur, ex tabulis Pictor, Statuarius e ſignis* &c. Vide S. Auguſt. L. x. confeſ. cap. vi. n.9.

5

Nam illos, qui nullum omnino Deum eſſe dixerunt, non modo Philoſophos, ſed ne homines quidem fuiſſe dixerim, qui mutis ſimillimi [a], *ſolo corpore* conſtiterunt, nihil cer-

a *Qui mutis ſimillimi*: Nota dicendi formulam, alibi explicatam.

Digitized by Google

cernentes animo,& ad ſenſum[b] corporis cuncta referentes : qui nihil putabant eſſe , niſi quod oculis contuebantur .

b *Nihil cernentes animo , & ad ſenſum* &c. Al. *nihil omnino cernentes animo* . Al. *eruentos animo ; ſed ad ſenſum* .

6

Et quia videbant aut bonis accidere adverſa , aut malis proſpera , fortuito geri omnia[a] crediderunt : & natura mundum , non

a *Fortuito geri omnia* &c. Jam vides heic de Epicureis noſtrum loqui , qui caſu , non Dei conſilio , omnia producta eſſe dicebant ex atomis in vacuo immenſo volitantibus. His quamquam verbis oppoſitum docere videatur Spinoza;idem tamen revera quidam eum ſentire dixerunt . *M. L. F. Prevv. de la Relig. Part.* 1. *Sect. II. cap.* v. Quod quum illi renunciatum eſſet , ſic in Epiſt. LVIII. apologiam pro ſe inſtruit : *Reſpondeo vero , quod , ſicuti certum eſt* fortuitum , & neceſſarium *duo eſſe contraria , ita manifeſtum eſt etiam , eum , qui mundum neceſſarium divinæ Naturæ effectum affirmat , omnino etiam mundum caſu factum eſſe negare : illum autem , qui affirmat , Deum potuiſſe creationem mundi omittere , confirmare , licet aliis verbis , eundem caſu factum fuiſſe, quoniam a voluntate , quæ nulla eſſe poterat , proceſſit* . Plane ignorans inter utrumque eſſe id quod *liberum* dici-

non providentia conſtitutum [b]: Hinc jam prolapſi ſunt ad deliramenta [c], quæ talem ſententiam neceſſario ſequebantur.

---

dicitur, & circa creaturas Deo maxime proprium eſt. Longe autem abſurdiorem delirium amici ſui refert Epiſt. LXX. eum hiſce verbis compellans: *Dic mihi, quæſo, an aliquos Philoſophos videris, aut legeris, qui in ea fuerunt ſententia, mundum caſu factum eſſe, nempe eo ſenſu, quo tu intelligis, Deum ſcilicet in creando mundo, ſcopum ſibi præfixum habuiſſe, & tamen eum, quem decreverat, tranſgreſſum eſſe* &c. En pretioſa illa inventa, quæ ex libertate cogitandi ætas noſtra in apricum protulit.

b *Et natura mundum, non providentia conſtitutum.* Quæ natura, quum ex Spinozæ mente, *nullum finem ſibi præfixum* habeat, *& omnes cauſſas finales, nihil, niſi humana figmenta* ſint. P. 1. *Ethic.* pag. 36. jam vides quo tandem redeat impii, ac ignorantiſſimi hominis veſana cogitandi libertas.

c *Ad deliramenta.* Vide, quæ de hac voce diximus L. III. cap. XVII. ſeg. , & cap. XXIX. ſeg.

7

Quod ſi eſt Deus [a] incorporalis, & inviſibilis

---

a *Quod ſi eſt Deus incorporalis* &c. Jo. Georg. Geret quum in *ſpecim. examin. Theologiæ Lactant.* Noſtro tribuiſſet Anthropomorphitarum errorem, Dionyſio Petavio præeunte Tom. I. Dog. Theolog. Lib.

bilis, & æternus; ergo non iccirco interire animam credibile eſt, quia non videtur, poſt-
H 4 quam

Lib. II. cap. I. §. 7. videns quod non ſolum ex L.vi. cap. xxv. ſeg. 2., ſed ex hoc, quem præ oculis habemus, clariſſimum deduci poſſet adverſus impactum temere errorem argumentum: *At hoc*, inquit, *nihil ad tutelam Lactantii facere, facile intelligent illi, quibus ex diligenti Patrum lectione notum eſt; Tò incorporeum eſſe; illis non ſignificare, nullum prorſus habere corpus, ſeu ex nulla conſtare materia ...... ſed tenue, ac ſubtile habere corpus ....* L. de *Opif. Dei* cap. xi. ſeg. 7. cap. xii. Lib. vii. ſeg. 2. in exemplum allatis, ubi Noſter aerem, quem ſpiramus, *incorporalem*; & animam rationalem *tenuem* appellat, quam tamen, nullo indicato Lactantii loco, eum *materialem* ſtatuiſſe aſſeverat. Hæc ſuis in locis a nobis exponuntur. Heic notaſſe ſufficiat, in phraſi Lactantiana *incorporale*, *tenue*, *ſubtile* &c. aliquando contraponi corporeo, *ſed ſenſibus pervio*; interdum vero *incorporeo*, *ſenſibus impervio*, *ac indiviſibili*, ſeu *individuo*. Spiritum vitalem in prima acceptione ſumit L. c. *de Opificio*; in ſecunda autem animam rationalem *tenuem*, *ſubtilem*, *individuam* dixit heic cap. antecedenti ſeg. 6. ubi Platonis argumenta collegit. Quum itaque corporeum omne, quantumvis tenue, & ſubtile, dividi poſſit, & de facto dividatur, quemadmodum contingit in ſpiritu, quem reſpirando emittimus; ſequitur neceſſario, omnino ab omni materia expers eſſe id, quod dicitur *incorporale*, *tenue*, ac *individuum*, ſicuti de Deo, & anima noſtra loquitur Lactantius. Vide Diſſ. xxv. cap. vii. §. xii. & xiv., & Diſſ. xxix. cap. vii. §. iv.

quam receſſit a corpore: quoniam conſtat, eſſe aliquid ſentiens [b], ac vivens, quod non veniat ſub aſpectum [c].

---

b *Aliquid ſentiens, ac vigens*. Thomaſ. Betul. & alii quidam: *conſtans, ſentiens* &c. Al. *vivens*. Al. *ingens* pro *vigens*. Aldus nobiſcum legit. Schott. cum aliis.

c *Sub aſpectum*. Al. *ſub aſpectu*. Al. addunt: *oculorum*.

8

At enim difficile eſt animo comprehendere, quemadmodum poſſit anima retinere ſenſum [a] ſine iis partibus corporis, in quibus ineſt officium ſentiendi. Quid de Deo? Num facile [b] eſt comprehendere quemadmodum vigeat ſine corpore?

---

a *Retinere ſenſum*. Al. *detinere*. Hoc infra a Lactantio explicatur.

b *Quid de Deo? Num facile* &c. Al. *Nam facile* &c.

9

Quod ſi Deos eſſe credunt, qui ſi ſunt, utique animæ ſunt expertes corporum [a]: neceſſe

---

a *Utique animæ ſunt expertes corporeum*. Sic Al-

ceſſe eſt, humanas animas eadem ratione [b] ſubſiſtere, quoniam ex ipſa ratione, ac prudentia intelligitur, eſſe quædam in homine, ac Deo ſimilitudo [c].

Aldus, Schottus, aliique meliores, ubi Heum., & alii quidam Tò *animæ* delent: neſcientes hanc fuiſſe Platonis ſententiam, a pleriſque Ethnicis adoptatam. Num heic etiam *animam materialem* reperit Geretius? At noſter ſubdit.

b *Neceſſe eſt, humanas animas eadem ratione ſubſiſtere*. En itaque ſublata ſuſpicio quælibet de anima corporea ab Authore noſtro; quum ita dicat eſſe corporis expertem animam rationalem, ſicuti corporis expers Deus eſt: Et quidem ad mentem Socratis, & Platonis, qui, ut compertum eſt apud omnes, nullam in Deo eſſe poſſe materiem conſtantiſſime docuerunt.

c *Ac prudentia*. Al. *providentia*.

d *Eſſe quædam in homine, ac Deo ſimilitudo*. Al. *in homine a Deo ſimilitudo*. Heum. marte ſuo: *hominis cum Deo ſimilitudo*. Schottus *adeo*. Ab effectibus, ſcilicet, manifeſtata. Ubi enim ſimiles apparent effectus, ibi & cauſſas ſimiles eſſe; neceſſe eſt. Hi autem ſunt intelligere, & velle.

10

Denique illud argumentum, quod etiam M.Tul. vidit, ſatis firmum eſt ex eo æternitatem animæ poſſe dignoſci: *quia nullum ſit aliud animal, quod habeat notitiam aliquam Dei,*

Dei, religioque ſit pene ſola, quæ hominem diſcernat a mutis [a], quæ, quum in hominem ſolum cadat [b], profecto teſtatur, id affectare nos, id deſiderare, id colere, quod nobis familiare, quod proximum ſit futurum.

---

a *Quæ hominem diſcernat a mutis*: Hoc alibi notavimus, dictum eſſe, quia ſolus homo per animam rationalem, & Deum cognoſcit, & eum cultu maximo dignum unice percipit; quod heic Noſter clariſſime demonſtrat, & explicat.

b *Quum in hominem ſolum cadat*. Sic Schottus, & alii quidam. Al. *Cadit*.

11

An aliquis, quum cæterarum animantium naturam conſideraverit, quas pronis corporibus abjectas, in terramque proſtratas ſummi Dei providentia effecit, ut ex hoc intelligi poſſit, nihil eas rationis habere cum cælo: poteſt non intelligere, ſolum ex omnibus cæleſte,ac divinum animal eſſe hominem, cujus corpus ab humo excitatum, vultus ſublimis, ſtatus rectus originem ſuam quærit, & quaſi contempta humilitate terræ,ad alium nititur, quia ſentit ſummum bonum in ſummo ſibi eſſe quærendum, memorque conditionis ſuæ, qua Deus illum fecit eximium, ad artificem ſuum ſpectat? Quam ſpectationem Triſ-

Triſmegiſtus θεωρίαν [a] rectiſſime nominavit: quæ in mutis animalibus nulla eſt.

a θεωριαν. Bon. οπιδα. Al. Θεοπιδα Prave; nam *Dei contemplatio* debet heic ſignificari. Vide Herm. Triſm. in *Pimand.* cap. XII. & ſeq.

12

Quum autem ſapientia [a], quæ ſoli homini data eſt, nihil aliud ſit, quam notitia Dei: apparet, animam non interire, neque diſſolvi; ſed manere in ſempiternum, quia Deum, qui ſempiternus eſt, & quærit, & diligit: ipſa cogente natura, ſentiens vel unde orta ſit, vel quo reverſura.

a *Quum autem ſapientia* &c. In libris ſuperioribus ſæpe hanc ſententiam Noſter propugnavit.

13

Præterea non exiguum immortalitatis argumentum eſt, quod homo ſolus cæleſti elemento utitur [a]. Nam quum rerum natura his duobus elementis, quæ repugnantia ſibi, atque inimica ſunt, conſtet igne, & aqua: quo-

a *Cæleſti elemento utitur*. Id eſt igne. Betulejus heic;

quorum alterum cælo, alterum terræ adſcribitur: cæteræ animantes, quia terrenæ, mortaleſque ſunt, terreno, & gravi utuntur elemento: homo ſolus ignem in uſu habet, quod eſt elementum leve, ſublime, cæleſte.

---

heic; *Neſcio*, inquit, *quam verum hoc argumentum ſit; nam cæleſtis ignis non hominem modo; ſed rerum univerſitatem fovet, ſervatque*. *Deinde*, alter *ignis lunæ ſubjectus ad hominem peculiariter nihil pertinet*, Tertio materiali illo, quem (*ſi fabulis credimus*) *Promæteus Cælitus furatus eſt, non homines modo fruuntur, ſed in eo animalia quædam, ut Plinius ſcribit, vivunt*. *Quartum natura rebus cum animatis, tum inanimatis afflavit*. Sed quare res adeo obvia tam longo principio repetita eſt? Ignis, quo utimur, & inter animantes ſoli ſcimus ſecundum opportunitatem uti, cæleſte dicitur, quia inter quatuor notiſſima Peripateticorum elementa, illud eſt, quod Cælo proximus ardet, illucque, vi ſua, tendere dicitur. Ariſt. *de gener. & corrupt.* L. II. cap. VIII. p. 738. *Ethic.* interp. Duval. *ſuapte natura*, ait, *ad terminum fertur univerſi*. Et Sextus Empyritus edit. Genev. p. 381. *Ignis quum ſit natura levis, ſurſum fertur*. Vide Plutarc. *de facie, quæ in orbe lunæ apparet*, & confer quæ diximus ad L. II. cap. x. ſeg. 25. Epit. cap. LXX. ſeg. 12.

14

Ea vero, quæ ponderoſa ſunt, ad mortem

tem deprimunt: & quæ levia ſunt, ad vitam ſublevant, quia vita in ſummo eſt, mors in imo. Et ut lux eſſe ſine igne non poteſt [a], ſic vita ſine luce [b]. Ignis igitur elementum eſt lucis, ac vitæ: unde apparet, hominem, qui eo utitur, immortalem ſortitum eſſe conditionem, quia illi familiare eſt, quod facit vitam [c].

Vir-

---

a *Ut lux eſſe ſine igne non poteſt*: Ariſt. *de Anim.* Lib. II. cap. III. *Lumen nec eſt ignis, nec omnino corpus, nec effluxio corporis alicujus* &c. & cap. VII. *Eſt ignis, vel talis cujuſpiam præſentia in eo, quod eſt pellucidum. De ſenſu, & ſenſib.* cap.III. *corporis ignei præſentia in perſpicuo lumen eſt*. Vide Carteſ. in *Tract. de lumine*. Nevvton. part.II. c.VII.

b *Sic vita ſine luce*. Heuman. *omnino reſcribendum eſt*, ait, *ſic nec vita ſine luce*. Sed nil mutandum, ubi omnes nobiſcum libri legunt, & dictio latina eſt Tullio præſertim uſitata L. II. Tuſc. *Ut ager, quamvis fertilis, ſine cultura fructuoſus eſſe non poteſt, ſic doctrina animus*. Vide dicta ad cap. 9. L. II.

c *Quod facit vitam*. Al. *ad vitam*. Vita enim, ut Noſter ait, *in calore eſt*. L. II. cap. X. ſeg. 10. quod explicat eodem libro cap. XIII. ſeg. 6.

15

Virtus quoque ſoli homini data, magno

gno

gno argumento eſt[a], immortales eſſe animas. Quæ non erit [b] ſecundum naturam, ſi anima extinguitur; huic enim præſenti vitæ nocet. Nam vita iſta terrena, quam communem cum mutis animalibus ducimus [c], & voluptatem expetit, cujus fructibus variis, ac ſuavibus delectatur, & dolorem fugit, cujus aſperitas naturam viventium acerbis ſenſibus lædit & ad mortem perducere nititur, quæ diſſolvit animantem.

a *Magno argumento eſt*. Cic. *de Natur. Deor.* L. I. *ut magno argumento eſſe debeat*. Bon. *Magnum argumentum* cæteris omnibus diſcrepantibus.

b *Quæ non erit* &c. Al. *quod non erat*. Al. *quæ nec erat*. Vide Epiſt. primam *ad Corinth.* cap. xv.

c *Quam communem cum mutis animalibus ducimus* Heum. *mala phraſis*; ait: *Cicero quidem orat. pro lege Man. cap. XII. dixit*: eos portus, quibus vitam, & ſpiritum ducit; *ſed* ducere *hic proprie* ad ſpiritum *pertinet* &c. At de Finib. L. I. ubi idem Cicero dixit: *In perpetuitate temporis vita beata duci ſolet*: ducere ad quid aliud pertinet, niſi ad vitam? Immo *vitam ducere*: obvia phraſis eſt apud Lucret., Virgilium, alioſque Latinos. Adde Vorſt. *de latinit. falſo ſuſpent.* a pag. 158. & Bunem. heic.

16

Si ergo virtus & prohibet iis bonis hominem, quæ naturaliter appetuntur, & ad ſu-

ſuſtinenda mala impellit, quæ naturaliter fugiuntur: ergo malum eſt virtus, & inimica naturæ, ſtultumque judicare neceſſe eſt, qui eam ſequitur, quoniam ſe ipſe lædit & fugiendo [a] bona præſentia, & appetendo æque mala ſine ſpe fructus amplioris.

a *Et fugiendo*. Al. *effugiendo*. Al. *æque. mala*.

17

Nam quum liceat nobis jucundiſſimis frui voluptatibus, nonne ſenſu carere videamur, ſi malimus in humilitate, in egeſtate, in contemptu, in ignominia vivere, aut ne vivere quidem, ſed dolere, cruciari, & mori [a]? ex quibus malis nihil amplius aſſequamur, quo poſſit voluptas omiſſa penſari.

a *Et mori*. Aldus, & Schottus ita nobiſcum legunt. Al. *& emori*.

18

Si autem virtus malum non eſt, facitque honeſte, quod voluptates vitioſas, turpeſque contemnit: & fortiter, quod nec dolorem, nec mortem timet, ut officium ſervet: ergo majus aliquod bonum aſſequatur [a] neceſſe eſt, quam ſunt illa, quæ ſpernit

a *Aſſequatur .... quam ſunt*. Schott. *aſſequitur.... quam ſint*.

nit. At vero morte ſuſcepta, quod ulterius bonum ſperari poteſt, niſi æternitas [b] ?

b *Niſi æternitas?* Al. *æternitatis.* Aldus, & Schottus legunt nobiſcum.

C A P. X.

1

TRanſeamus [a] nunc viciſſim ad ea, quæ virtuti repugnant, ut etiam ex his immortalitas animæ colligatur.

a *Tranſeamus.* Sic ſæpe Cicero.

2

Vitia omnia temporalia ſunt [a], ad præſens enim commoventur: iræ impetus, recepta

a *Vitia omnia temporalia ſunt.* Bunem. putat heic ex S. Cyprian. *de zelo, & livore*, vitium hocce eximi debere; nam *mala cætera habent terminum, & quodcumque delinquitur, delicti conſummatione finitur. In adultero ceſſat facinus perpetrato ſtupro. In latrone* &c. *zelus terminum non habet, permanens jugiter malum, & ſine fine peccatum, quantoque ille cui invidetur, ſucceſſu meliore profecerit; tanto invidus in majus incendium livoris ignibus inardeſcit.* Sed perſpicua ratio eſt; quia finem nondum eſt conſecutus, quem ſi aliquando æmuli dejectione aſſequi poterit, ſicut cætera vitia, zelus extinguetur, ac proinde & ipſe temporalis judicandus eſt.

Digitized by Google

pta ultione ſedatur [b]; libidinis, voluptas corporis, finis eſt: cupiditatem aut ſatietas [c] earum, rerum, quas expetit, aut aliorum affectuum commotiones interimunt: ambitio, poſtquam honores, quos voluit, adepta eſt, conſeneſcit: item cætera vitia conſiſtere, ac permanere non poſſunt, ſed ipſo fructu, quem expetunt, finiuntur. Recedunt ergo, & redeunt [d].

b *Sedatur*. Sic etiam Aldus. Al. *ſeduntur*.

c *Cupiditatem aut ſatietas.* Al. perperam legunt: *cupiditatem autem* &c. Schottus, & Aldus lectionem reſtituunt.

d *Recedunt ergo, & redeunt*: Schottus: *Redibunt*, Sic etiam Aldus.

3

Virtus autem ſine ulla intermiſſione perpetua eſt, nec diſcedere ab eo poteſt, qui eam ſemel cepit [a]. Nam ſi habeat interval-

a *Nec diſcedere ab eo poteſt, qui eam ſemel cepit*: Schottus, aliique *ſemel cupit*: Prave; nam heic Lactantius virtutes vitiis contraponit in hoc, quod actus vitioſi, adepto fine ceſſant; actus vero virtutis, quo magis exercentur, eo magis delectant. Vitia, quum ſint inter ſe contraria, mutuo deſtruuntur; virtutes autem, quum maximam inter ſe connexionem

lum, ſi aliquando ea carere poſſumus, redeunt protinus vitia, quæ virtutem ſemper impugnant[b].

nem habeant, mutuo foventur; imo qui charitatem habet, omnes alias habere neceſſe eſt. Vitia carnalia temporis intervallo vel ab hominibus derelinquuntur; vel eos derelinquunt. At nullum temporis ſpatium virtus timet, ſi ſponte non dimittatur a poſſidente.

b *Nam ſi habeat intervallum, ſi aliquando carere ea poſſumus, redibunt protinus vitia, quæ virtutem ſemper impugnant*. Ubi pro *redibunt*, alii legunt *redeunt*. Quum virtus media ſit inter vitia, quæ per defectum, aut per exceſſum eidem apponuntur; fieri nequit, quin ad unum ex his extremis non accedat, qui a medio recedit.

4

Non eſt igitur comprehenſa, ſi deſerit, ſi aliquando ſecedit. Quum vero ſibi domicilium ſtabile collocavit, in omni actu verſari eam, neceſſe eſt, nec poteſt fideliter depellere vitia, & fugare, niſi pectus, quod inſedit, perpetua ſtatione munierit[a].

Ipſa

a *Niſi pectus, quod inſederit, perpetua ſtatione munierit*. Virtus conſummata, qualis erit Charitas in Patria, numquam ceſſabit ab actu amoris, quamvis fruatur viſione beata; unde Apoſtolus ad Corinth. I. cap. XIII. v. 8. *Charitas numquam excidit*.

5

Ipſa ergo virtutis perpetuitas indicat, humanum animum [a], ſi virtutem ceperit, permanere: quia & virtus perpetua eſt, & ſolus animus humanus virtutem capit.

a *Humanum animum*. Al. *animam*. Unum pro altero ſæpe uſurpatur.

6

Quoniam igitur contraria ſunt vitia virtuti: omnis ratio diverſa, & contraria ſit, neceſſe eſt. Quia vitia commotiones, & perturbationes animi ſunt, virtus e contrario lenitudo, & tranquillitas animi eſt [a]. Quia vitia temporalia, & brevia ſunt: virtus perpetua, & conſtans, & par ſibi ſemper. Quia vitiorum fructus, id eſt voluptates, æque, ut ipſa breves, temporaleſque ſunt.

a *Tranquillitas animi eſt*. Scilicet compeſcendo animi perturbationes, quæ a vitiis ſuſcitantur, animæ pacem reſtituunt.

7

Virtutis ergo fructus, ac præmium ſempiternum eſt, quia vitiorum commodum in

 præ-

præſenti eſt, virtutis igitur [a] in futuro. Ita fit, ut in hac vita virtutis præmium nullum ſit [b], quia virtus adhuc ipſa eſt [c].

---

a *Virtutis igitur*. Schottus, *virtutis agitur*.

b *Ita fit, ut in hac vita virtutis præmium nullum ſit*. Scilicet completum, ac cum ipſa virtute adæquatum. Ideoque Chriſtus Dominus Luc. v. ℣. 23. *Beati pauperes*, ait, *quia veſtrum eſt regnum Cælorum*. Beati &c. *Gaudete in illa die, & exultate: Ecce enim merces voſtra multa eſt in Cælo* & David Pſal. XVI. ℣. 15. *Ego autem in juſtitia apparebo conſpectui tuo: ſatiabor quum apparuerit gloria tua*. Bona autem, quibus etiam dum adhuc vivimus, nos in terris Deus donat, ſunt potius virtutum adminicula, quam ſtipendia, ſi juſti fuerimus; de ſolis impiis dicit Dominus Matt. VI. ℣. 6. *Receperunt mercedem ſuam*, quia frui ipſi voluerunt utendis, ubi eis ſolummodo uti debuerant.

c *Quia virtus adhuc ipſa eſt*. Heum. *pro ipſa*: Legere jubet, *imperfecta*, putans, *abbreviate* ſic ſcribi, ſolitum eſſe. Errat tamen, ut bene notat Buneman.; nam non ſolum in clavi diplomatica Baringii ſimilis nota non obſervatur; ſed in nullo alio, vel antiquo, vel recentiori codice illam iuvenire hactenus contigit; quamvis in hac re hoſpites non ſimus.

8

Nam ſicut vitia, quum in actu ſuo finiuntur, voluptas, & præmia eorum ſequuntur: ita

ita virtus quum finita eſt, merces ejus inſequitur. Virtus autem nunquam niſi morte finitur [a]: quoniam & in morte ſuſcipienda ſummum ejus officium [b] eſt. Ergo præmium virtutis poſt mortem eſt.

a *Numquam niſi morte finitur*. Intellige quo ad luctam cum vitiis oppoſitis.

b *In morte ſuſcipienda ſummum ejus Officium*. Reſpicit illud Johan. xv. ℣. 13. *Majorem hac delectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Vos amici mei eritis* &c.

9

Denique Cicero in Tuſculanis [a], quamvis dubitanter, tamen ſenſit, ſummum homini bonum non niſi poſt mortem contingere: *Fidenti animo*, inquit, *ſi ita res feret, gradietur ad mortem: in qua aut ſummum bonum, aut nullum malum eſſe cognovimus*. Mors igitur non extinguit hominem, ſed ad præmium virtutis admittit.

a *Cicero in Tuſculanis*. Nempe L.I. Cap.XLVI.

10

Qui autem ſe (ut ait idem [a]) *vitiis, ac ſce-*

a *Ut ait idem*. Vide ſuperius ad L.III. cap.XIX. Seg.6. Ubi ex L. *deConſol*. verba a Noſtro recitantur.

ſceleribus contaminaverit, voluptatique ſervierit. Is vero damnatus æternam luet pœnam, quam divinæ literæ ſecundam mortem [b] nominant, quæ eſt & perpetua, & graviſſimis cruciatibus plena.

b *Secundam mortem*: Superius de hac ſecunda morte locuti ſumus. L. II. cap. XIII. Al. XII. Seg. 8., & de eadem in Apocalypſi S. Johannis Cap. II. ℣. 11. habetur. *Qui vicerit non lædetur a morte ſecunda*: Et Cap. XX. ℣. 7., & 14., ubi explicatur quid ſit, per hæc verba: *Et Infernus, & mors miſſi ſunt in Stagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda*. Rabbi autem David Kimchi, & alii quidam, impiorum animas in altera vita ad nihilum redigi, commenſi ſunt.

11

Nam ſicuti duæ vitæ [a] propoſitæ ſunt homini, quarum altera eſt animæ, altera corporis: ita & mortes duæ propoſitæ ſunt, una pertinens ad corpus, qua cunctos ſecundum naturam fungi neceſſe eſt [b]: altera perti-

a *Duæ vitæ*. Vide ſupra Cap. v. Seg. 16.

b *Qua cunctos ſecundum naturam fungi neceſſe eſt*. Quamvis, judice Heumanno, uſitatius dicatur; *fato fungi*: *Morte defungi*, tamen, ut idem ſubdit, exempla non deſunt pro hac Lactantiana phraſi tuenda. Vide Burman. ad Ovid. tom. 1. pag. 823., & Voſſium ad Sulpicium Sever. 1. 7. Ut diligenter de more heic notavit Bunem.

tinens ad animam, quæ ſcelere acquiritur, virtute vitatur: & ut hæc vita temporalis [c] eſt, certoſque terminos habet, quia corporalis eſt: ſic & mors æque temporalis eſt, certumque habet finem, quia corpus attingit.

---

c *Hæc vita temporalis*. Schottus. *corporalis*.

C A P. X I.

1

IMpletis igitur [a] temporibus, quæ Deus morti ſtatuit, terminabitur ipſa mors. Et quia temporalem vitam temporalis mors ſequitur, conſequens eſt, ut reſurgant animæ [b] ad vitam perennem; quia finem mors temporalis accepit.

---

a *Impletis igitur*. Al. *Impletis ergo*.

b *ut reſurgant animæ*. Id eſt, homines; nihil enim diſertius in hocce libro, ac in aliis docuit Lactantius, quam animæ immortalitatem; unde animadverte mirandam vere Gallæi temeritatem, qui heic ait: A'κυθολόγως *loquitur Author. Carnis enim, non animæ reſurrectionem credimus Chriſtiani. Animæ, ut non intereunt, ita nec reſurgent.* Sed infra Cap. XXII. & XXIII. clarius hæc exponemus.

2

Rurſum, ſicut vita animi ſempiterna eſt,

in qua divinos, & ineloquibiles [a] immortalitatis ſuæ fructus capit: ita & mors ejus perpetua ſit, neceſſe eſt, in qua perennes pœnas, & infinita tormenta pro peccatis ſuis pendit [b].

a *Et ineloquibiles*. Vide ſupra L.VII. Cap. v. & de Opif.xx. ſeg.5.
b *Pro peccatis ſuis pendit*. Sic nobiſcum Schottus, & plurimi etiam Mss. Codices. Al. *pendet*.

3

Ergo in ea conditione res poſita eſt [a], ut qui beati ſunt in hac vita corporali, atque terrena; ſemper miſeri ſint futuri, qui jam bonis, quæ maluerunt, potiti ſunt: quod iis evenit, qui Deos adorant, ac Deum negligunt.

a *Res poſita eſt*. Schottus *repoſita eſt*. Prave.

4

Deinde qui juſtitiam ſequentes, in hac vita miſeri fuerint, & contempti, & inopes, & ob ipſam juſtitiam contumeliis, & injuriis ſæpe vexati, quia nec aliter virtus teneri po-

a *Semper beati ſint futuri*. Al. prave legunt *ſunt futuri*.

poteſt, ſemper beati ſint futuri: [a] ut quia mala jam pertulerunt, etiam bonis fruantur, quod his utique contingit, qui contemptis terreſtribus diis, & fragilibus bonis, cæleſtem religionem ſequuntur Dei, cujus bona, ſicut ipſe, qui tribuit, ſempiterna ſunt.

5

Quid opera corporis, atque animi? non ne indicant eſſe animam mortis expertem? Nam corpus, quia ipſum fragile eſt, atque mortale, quæcumque opera molitur, æque caduca ſunt. Nihil enim, Tullius ait [a], eſſe, quod ſit manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur, vel injuria hominum, vel ipſa confectrice rerum omnium vetuſtate [b].

---

a *Tullius ait*. Non heic verba eadem Tullii refert Lactantius: ſed ſenſum eorum. Ciceronis verba recitavit Noſter ſupra L. VI. Cap. XI. Seg. 25.

b *Vel ipſa confectrice rerum omnium vetuſtate*. Al. Tò *rerum* non habent, *Confectrix* vox eſt Bunem. aliunde non nota; quamvis non ignoret, in libro *Conſol.*, Ciceroni tributo, eam eſpreſſe legi.

6

At vero [a] animi opera videmus eterna. Nam

---

a *At vero*. Pleonoſmus eſt Ciceroni uſitatus.

Nam quicumque contemptui præſentium ſtudentes, in memoriam monimenta ingeniorum, factorumque magnorum reliquerunt; ii plane mentis, ac virtutis ſuæ nomen indelebile [b] quæſierunt. Ergo ſi opera corporis ideo mortalia ſunt, quia ipſum mortale eſt; ſequitur, ut anima ex eo immortalis appareat, quia videmus opera ejus non eſſe mortalia.

b *Indelebile*. Al. *incredibile*; ex Betulejo, qui tamen in nota legit *indelebile*, quod Bunemanni diligentiam fugit.

7

Eodem modo deſideria quoque corporis, animique declarant, alterum eſſe mortale, alterum ſempiternum. Corpus cum nihil niſi temporale deſiderat, id eſt cibum, potum, indumentum, quietem, voluptatem: & tamen hæc ipſa ſine vi, nutu, & adminiculo [a] animi nec cupere, nec aſſequi poteſt. Animus autem per ſe multa deſiderat, quæ ad officium, fructumve corporis non redundent, eaque non fragilia, ſed æterna ſunt, ut fama virtutis, ut memoria nominis. Nam

a *Sine vi, nutu, & adminiculo*: Bon. *Tò vi* non habet; Alii *Tò nutu* carent. Nos utramque vocem ex Mss., & prelo vulgatis reſtituimus.

8

Nam cultum Dei, qui conſtat abſtinentia cupiditatum, ac libidinum, patientia doloris, contemptu mortis, etiam contra corpus anima concupiſcit [a]. Unde credibile eſt, non interire animam, ſed diſſociari a corpore: quia corpus ſine animo nihil poteſt, animus vero [b] poteſt multa, & magna ſine corpore.

a *Etiam contra corpus anima concupiſcit*. Apoſtolus ad Gal.V. ℣.17. *Caro enim concupiſcit adverſus Spiritum; Spiritus autem adverſus carnem*.

b *Animus vero*. Al. *animus autem*. Al. *anima*.

9

Quid? quod ea, quæ viſibilia ſunt oculis, & tangibilia manu, quia externam vim pati poſſunt, æterna eſſe non poſſunt? Ea vere, quæ neque ſub tactum, neque ſub viſum [a] veniunt, ſed tantummodo vis eorum, & ratio, & effectus apparet, æterna ſunt, quia nullam vim patiuntur extrinſecus.

a *Sub viſum* &c. Al. *ſub viſu*.

10

Corpus autem [a] ſi ideo mortale eſt, quia

quia viſui pariter, & tactui ſubjacet, ergo & anima iccirco immortalis eſt, quia nec tangi poteſt, nec videri.

a *Corpus autem* &c. Rivetus. *Hoc argumentum*, ait, *ſi ſtaret*, *ſequeretur*, *poſt Reſurrectionem*, *corpus nec viſibile*, *nec tangibile futurum*. *Sed non videtur Lactantius agnoviſſe Reſurrectionem Corporum*, *eorumque glorificationem*. Immo Rivetum minime cognoviſſe ex ſuis verbis patet; quænam futura ſint Corporum reſurgentium temperies, de qua infra cum Authore noſtro loquemur ad Cap. XXI., & XXIII.

CAP. XII.

1

NUnc argumenta eorum, qui contra differunt [a], refellamus, quæ Lucretius tertio libro executus eſt: *Quoniam cum corpore*, inquit, *anima naſcitur* [b], *cum corpore intereat*, *neceſſe eſt*.

At

a *Qui contra diſſerunt*. Al. *dixerunt*.

b *Quoniam cum corpore anima naſcitur*. Cellarius, & Betulejus, aliique poſt ipſos, Iſæo excepto, Lucretii locum, ubi hoc aſſerit non ſunt aſſecuti: alia pro aliis afferendo. Sed noſter reſpicit ad L. III. ℣. 446. Ubi ſic poeta loquitur:

Præ-

Præterea gigni pariter cum corpore, & una
Creſcere ſentimus, pariterque ſeneſcere mentem.

Et a V. 458.

Quandoquidem gigni pariter, pariterque videmus
Creſcere, & ut docui, ſimul ævo feſſa fatiſcet.

2

At non eſt par utriuſque ratio. Solidum enim, & comprehenſibile corpus eſt, & oculis, & manu; anima vero [a] tenuis, & tactum, viſumque fugiens [b]. Corpus e terra fictum, atque ſolidatum [c] eſt: anima in ſe nihil concreti, nihil terreni ponderis habet [d], ut Plato diſſerebat [e]. Nec enim tantam poſſet ha-

a *Et oculis, & manu; Anima vero*. Al. *Et oculis, & manu videtur, & tangitur; Anima vero*.

b *Anima vero tenuis, & tactum, viſumque fugiens*. Utpote pure ſpiritualis, ut jam ſupra ſæpe notavimus; & paullo infra dicemus.

c *Atque ſolidatum* Al. *conſolidatum*.

d *Anima in ſe nihil concreti, nihil terreni ponderis habet*. Si ergo *nihil congreti* habet Anima; eam pure ſpiritualem eſſe, ſecundum Lactantii mentem, neceſſe eſt; nam concreſcere de rebus dicitur corporeis, etſi tenuiſſimis: puta de aære, de exhalationibus &c.

e *Ut Plato diſſerebat*. Vide dicta ad Cap. IX. ſeg. 9. nota (b).

Niſi

habere ſolertiam, tantam vim, tantam celeritatem, niſi originem traheret e cælo *f*.

f *Niſi originem traheret e Cælo*: A Deo nimirum, qui eam de nihilo creatam, ſingulis hominibus ſingillatim inſpirat, ut paullo infra videbimus.

3

Corpus igitur quoniam fictum ex ponderoſo, & corruptibili elemento, & tangibile eſt, & viſibile, corrumpitur, atque occidit [a], nec vim repellere poteſt, quia ſub aſpectum, & ſub tactum venit. Anima autem, quia tenuitate ſua omnem tactum fugit, nullo ictu diſſolvi poteſt.

a *Occidit*: Al. *Occidet*.

4

Ergo quamvis inter ſeſe conjuncta, & ſociata naſcuntur, & alterum, quod eſt de terrena concretione formatum, quaſi vaſculum [a] ſit alterius, quod eſt a cæleſti ſubtilita-

a *Quaſi vaſculum*. Schottus. *Quaſi Vehiculum*. Addens. *Vide Platonem*. Scilicet in Phædro, ubi Plato animam currui æquiparat. Sed heic talis ſimilitudo non eſt ad rem, ob ea, quæ Noſter habet infra ſeg.7.

ſtate deductum:quum vis aliqua utrunque diſcreverit, quæ diſcretio mors vocatur, utrunque in naturam ſuam redit [b]; quod ex terra fuit,id in terram reſolvitur;quod eſt ex cæleſti ſpiritu [c], id conſtat, ac viget ſemper, quoniam divinus ſpiritus ſempiternus eſt.

ſeg.7. & quia ſæpe corpus noſtrum vas appellat E. g. *de Opif. Dei* Cap.I. Seg.II. L.II. Cap.III. ſeg.8. & Cap.XIII. Al.XII. ſeg.II. &c.

b *Utrumque in naturam ſuam recedit*. Al. *tum*. *In* n.5. *redit*. Fulvius Urſinus heic notat: *videndum an legi debeat: recidit; nam vetus codex habet recedit*. Sed nihil puto immutandum; Nam *recedere* ſæpe à latinis pro *reverti* uſurpatum eſt: Salluſtius in Jugurtá. *Albinus, Aulo fratre in Ceſtris Proprætore relicto, Romam receſſit*: Horat. Serm. Satyr. I. ℣.30. *Senes in acie tuta recedant*; Et optime ad rem Virgilius IV.Æn. a ℣.704.

.... Omnis & una
Dilapſus calor, atque in ventos vita receſſit.

c *Quod ex cæleſti Spiritu*: Id eſt: *ex divina inſpiratione*, Ut ſuperius notavimus. Eccleſ. XII. v.7. *Et revertatur pulvis in terram ſuam unde erat; & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

5

Denique idem Lucretius oblitus quid aſſereret, & quod dogma defenderet, hos verſus poſuit:

Cædit item retro, de terra quod fuit ante,

In

In terram: ſed quod [a] *miſſum eſt ex*
ætheris oris.
Id rurſus cæli fulgentia templa rece-
ptant [b].

Quod ejus non erat dicere, qui perire animas cum corporibus diſſerebat, ſed victus eſt veritate, & imprudenti ratio vera ſurrepſit.

a *In terram: ſed quod* &c. Al. *in terras, & quod* &c. Lucr. Lib. II. ℣. 998.

b *Fulgeltia templa receptant*. Al. *fulgentia tecta receptant*.

6

Præterea id ipſum, quo colligit diſſolvi animam, hoc eſt, ſimul cum corpore interire, quoniam ſimul naſcantur, & falſum eſt, & in contrarium converti poteſt. Non enim ſimul interit, ſed anima diſcedente, integrum per dies multos manet, & plerunque medicatum, diutiſſime durat [a].

a *Et plerumque medicatum diutiſſime durat.* Ægyptiis primum, Hebræis poſtmodum, demum Romanis, aliiſque populis, mos erat, aromatibus mortuorum cadavera a putrefactione ſervare; de qua re videndus Herodotus in *Euterpe* Cap. LXXXVI. & Petrum Bellonium, qui tribus libris egit de admirabili operum antiquorum, & rerum ſuſpiciendarum præſtantia, ſub Titulo: *de medicato funere, ſive de cadavere co-*

condito &c. Pariſiis 1553. 4., ut alios omittam, qui de hocce argumento luculenter tractarunt. De Incorruptione autem ſupernaturali, & miraculoſa cadaverum ſufficiat id, quod ſcripſit D. N. BENEDICTUS XIV. Lib. IV p.1. Cap. XXX. *de Beat. & Canoniz. Sanctorum*; ibidem enim adunata reperies, quæ in aliis diſperſa ſunt.

7

Nam ſi ut ſimul naſcuntur, ſimul interirent, non diſcederet repente anima, corpuſque deſereret, ſed uno temporis puncto utrumque pariter, diſſiparetur, & tam celeriter etiam corpus, adhuc ſpiritu in eo manente, deliqueſceret, ac periret, quam celeriter anima ſecedit: imo vero diſſoluto corpore anima vaneſceret, velut humor fracto vaſe diffuſus [a].

a *Velut humor, fracto vaſe diffuſus*. Eſt ſimilitudo, qua Lucretius utitur poſt verſus ſuperius recitatos, & infra ad ſeg.21. recitandus.

8

Nam ſi terrenum, & fragile corpus poſt ſeceſſum animæ non ſtatim diffluit, in terramque tabeſcit, ex qua illi origo eſt: ergo anima, quæ fragilis non eſt, in æternum manet, quoniam origo ejus æterna eſt [a].

a *Quoniam origo ejus æterna eſt*: Scilicet anima æternum duratura, non autem ab æterno creata, ſive antiquiſſimum corpus, cujus eſt forma, fingerentur; hujuſmodi enim errorem, & heic, & L. *de Opif. Dei* Cap. XVI. ſeg. 7. Lactantius refellit.

9

Quoniam creſcit, inquit [a], *ſenſus in pueris, & in juvenibus viget, & in ſenibus diminuitur, apparet eſſe mortalem*. Primum non eſt idem mens, & anima [b]; aliud eſt enim, quo vivimus [c]: aliud, quo cogita-

a *Quoniam creſcit inquit* &c. argumenta ſunt Lucretii ex Lib. III. ỹ. 447. ſuperius recitato.

Creſcere ſentimus, pariterque ſeneſcere mentem.

b *Primum non eſt idem mens, & Anima*. Explicuimus hanc Lactantii ſententiam ad lib. *de Opif. Dei* cap. XVIII. & heic paullo infra idem Author explanationem noſtram confirmat, ut ibidem notabimus, contra Iſæum, qui Noſtrum *parum valide* Lucretii errorem refellere heic, judicat.

c *Aliud eſt enim, quo vivimus, aliud quo cogitamus*. Non quod una anima vivamus, alia cogitemus: Unicam enim in homine animam eſſe, conſtanter Lactantius docet; Sed ita loquitur, ut diverſa inter ſe animæ rationalis in hoc ſtatu vitæ officia demonſtret; quæ dum in mortali corpore eſt ab organis corporeis diverſimode in cogitando, atque in tribuendo vitam dependet; quamquam enim ipſa nequeat

tamus, nam dormientium mens, non anima ſopitur [d]: & in furioſis mens extinguitur, anima manet, & ideo non exanimes, ſed dementes appellantur [e].

queat vi ſua non vivere; poteſt tamen extra corpus vivere, & intra corpus non intelligere. Ut Diſſ. xxv. Cap. vii. §. xvii. fuſius dicemus.

d *Nam dormientium mens, non anima ſopitur.* Quod heic *mens* dicitur, in Lib. de Opif. de Cap. xviii. ſeg. 3. *animus* appellatur, quoniam dormiens ſui compos non eſt. Vide Diſſ. xxv. Cap. vii. §. xvii.

e *Sed dementes appellantur.* Schottus *vocantur.* Mens, ut mox Author exponit, eſt ipſa *intelligentia*, quæ, etſi anima maneat integra, perit tamen læſis organis corporei, a quibus in hac vita dependet; vel ſopitur ſomno, quoniam, etſi cognitio remaneat ante acquiſita, non tamen animo advertitur, riteque obſervatur.

10

Mens ergo, ideſt, intelligentia [a] vel augetur, vel minuitur pro ætate. Anima in ſtatu ſuo ſemper eſt, & ex quo tempore ſpi-

a *Mens ergo, id eſt, intelligentia.* En quomodo ſeſe Lactantius explicat: mentem nimirum pro uſu ipſius rationis, quem nec ſtatim ac vivere incipimus habere naturaliter poſſumus, nec eo ſemel acquiſito, ſemper ita perfecte retinetur, ut labefactari pluribus cauſſis non poſſit.

randi accepit facultatem eadem uſque ad ultimum durat, donec emiſſa corporis clauſtro, ad ſedem ſuam revolet [b].

b *Ad ſedem ſuam revolet*. Metaphorice dictum pro eo, quod eſt, ad Deum, a quo ſedem, & ſtatum accipiet ſuis meritis congruentem, eodem ſenſu, quo S.Petrus *Act.Apoſt.*Cap.1.℣.25. de Juda ait: *Ut abiret in locum ſuum*.

11

Deinde quod anima, quamvis a Deo ſit inſpirata, tamen quia tenebroſo domicilio terrenæ carnis incluſa eſt, ſcientiam non habet [a], quæ eſt divinitatis.

a *Scientiam non habet*. Scilicet ex intrinſecis ſuis, ſed ab extrinſeco ei advenit. Unde ſequitur

12

Audit igitur, ac diſcit omnia [a]; & ſapientiam diſcendo, & audiendo capit: & ſene-

a *Audit igitur, & diſcit omnia*. S.Auguſtin.L.XIV. *de Trinit.* Cap.V. *Quid itaque dicendum eſt de infantis mente, ita adhuc parvuli, & in tam magna demerſi rerum ignorantia, ut illius mentis tenebras mens hominis, quæ aliquod novit, exhorreat*. *An etiam ipſa* *ſe*

nectus non minuit ſapientiam, ſed auget, ſi tamen juvenilis ætas virtute decurſa eſt [b]. Sed ſi nimia ſenectus fregerit membra, non eſt animæ vitium [c], ſi viſus evanuit, ſi lingua torpuit, ſi auditus obſurduit: ſed corporis.

ſe noſſe credenda eſt? Sed intenta nimis in eas res, quas per corporis ſenſus tanto majore, quanto noviore capit delectatione ſentire, non ignorare ſe poteſt; ſed cogitare ſe non poteſt. Al. *Audit ergo*.

b *Si tamen juvenilis ætas virtute decurſa ſit.* Cicer. pro Quintio: *Prope acta jam ætate, decurſaque* &c. Mirum ſane eſt, quam bene acta juvenilis ætas conferat ſenectuti bonæ, ac ſenum mentis integritati. Id nos experientia docet, quum vitas legimus Sanctorum Patrum, qui a teneris annis in cœnobiis Monachorum ſanctiſſimis legibus caſte, ac ſobriæ inſtituti, ad extremam uſque ſenectutem infranctis tam mentis, quam corporis viribus, Deo ſine intermiſſione ſervierunt. Nec temere hinc Lactantium optimis a prima juventute moribus imbutum fuiſſe judicamus, quum ex Euſebio conſtet; eum in extrema ſenectute, Criſpo Cæſari Præceptorem datum, hoſce divinos libros elucubraſſe.

c *Non eſt animæ vitium*. Heuman. hæc poſtponenda judicat poſt *obſurduit*.

13

At enim memoria deficit [a], quid mirum,

---

a *At enim memoria deficit*. Seneca *in Declam. Pro-*

rum, ſi labentis domicilii ruina premitur mens, & præterita obliviſcitur, non aliter futura divina, quam ſi carcerem, quo cohibetur, effugerit?

Prologo: Memoria eſt res ex omnibus partibus animi maxime delicata, & fragilis, in quam primum Senectus incurrit. Et Lucretius, cujus eſt hæc objectio ℣. 562. L. III. ait.

Claudicat ingenium, delirat lingua, madet mens &c.

14

Verum eadem, inquit [a], *dolori, & luctui obnoxia eſt, & ebrietate dementit, unde fragilis, & mortalis apparet.*

---

a *Verum eadem, inquit* &c. Idem Lucretius L. III. a ℣. 460.

. . . . Corpus ut ipſum.
Suſcipere immanes morbos, durumque dolorem
Sic animum curas acres, luctumque, metumque;
Quare participem leti quoque convenit eſſe.
Quin etiam morbis in Corporis avius errat
Sæpe animus; dementit enim, deliraque fatur.

15

Iccirco igitur virtus, & ſapientia neceſſaria eſt, ut & mœror, qui contrahitur indigna patiendo, ac videndo, fortitudine repellátur, & voluptas non modo potandi,

ſed

ſed etiam rerum cæterarum abſtinentia ſuperetur; nam ſi careat virtute, ſi voluptatibus dedita molliatur, morti fiet obnoxia [a], quoniam & virtus (ut docuimus [b]) immortalitatis eſt fabricatrix, & voluptas mortis.

a *Morti fiet obnoxia*. Schottus. *mortificat*.
b *Vt docuimus*. Vide L.VI. C.XXII. Seg.3.

16

Mors autem (ſicut oſtendi) non funditus perimit, ac delet, ſed æternis afficit cruciatibus. Nam interire prorſus anima non poteſt, quoniam ex Dei ſpiritu [a], qui æternus eſt, originem cepit.

a *Ex Dei Spiritu*. Id eſt, ex inſpiratione divina ut ſæpe docuimus. Geneſ.II. ℣.7.*Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*.

17

Anima, inquit, *etiam morbum* [a] *corpo-*

K 4

a *Anima, inquit, etiam morbum* &c. Aliud Lucretii Argumentum, in carminibus ſuperioribus tactum, ac deinde infra propoſitum, a ℣. enim 474.ait:

Nam dolor, ac morbus leti fabricator uterque
Multorum exitio, perdocti quod ſumus ante,
Præterea mentem ſanari corpus ut ægrum,
Et pariter flecti, medicina poſſe videmus;

poris ſentit , & oblivionem ſui patitur [b] , *& ſicut ægreſcit , ita etiam ſæpe ſanatur.* Hoc

b *Et oblivionem ſui patitur* Betulejus, & Iſæus: *exponit*, ajunt, *lethargum*. Quia ibidem Lucretius dixerat:

Interdumque gravi lethargo fertur in altum,
Æternumque ſoporem.

Sed toto Cælo lethargum ab oblivione differre, nemo non videt; Nam ideo Lethargici, Apopletici, & ii, qui deliquium animi paſſi vehementius ſunt, nihil eorum meminerunt, quæ circa eos acta ſunt, dum talia paterentur, quia in cerebro eorum veſtigia ob deficientiam ſpirituum non ſunt ita impreſſa ut ea poſtmodum Anima queat intueri, ac contemplare. Non ergo iſta hæc paſſio oblivio dici debet, in qua cognitio nulla præceſſit; ſed illa, in qua ex morbo capituli rerum imagines, in cerebri membranis jam antea impreſſis, delentur ita, ut nequeat mens, illas ſedulo repetens, amplius invenire; quamvis anima obliviſci nequeat hujuſmodi imagines, ſe vidiſſe, & angitur, quum illas volenti ſibi, nec phantaſia, nec imaginativa, nec memoria ſenſitiva valeant iterum repræſentare. Vide Auguſtinum *de Trinitate* loco paullo ſupra laudato: Unde egregie de more Lactantius ſubdit: *& oblivionem ſui non anima*, quæ ſibi ſemper præſens eſt, & eadem, *ſed mens* patitur, cui niſi imagines, in cerebri membranis efformatæ, clare, diſtincteque appareant, ejus quoque obliviſci neceſſe eſt, quod ex illis antea perceperat. Eſt enim, veluti quoddam ſpeculum, a quo ſi objectum auferas, imago etiam illius aufer-

aufertur, ſi oculos avertas, nihil amplius vides, ſi clarum, & expolitum non ſit, uſum perdit, ad quem fuerat fabricatum.

18

Hoc eſt ergo, cur maxima virtus adhibenda ſit, ne ullo corporis dolore frangatur, & oblivionem ſui non anima, ſed mens patiatur. Quoniam certa corporis regione conſiſtit[a], quum eam partem vis aliqua morbi vitiaverit, movetur loco[b], & quaſi conquaſſata,

a *Certa corporis regione conſiſtit*: Ad hominem Lucretio reſpondet, qui Lib.III. ℣. 547. dixerat:

Et quoniam mens eſt hominis pars una, locoque
Fixa manet certo, velut aures, atque oculi ſunt,
Atque alii ſenſus &c.

Locus autem, in quo mentem fixam eſſe putabat Lucretius, non caput eſt, ut dicit heic Betulejus; ſed pectus erat, ut ipſe innuit eodem libro ℣. 140. inquiens:

Conſilium quod nos Animum, mentemque vocamus,
Idque ſitum media regione in pectoris hæret.

Vide ad L. *de Opif. Dei* cap. XVI. ſeg. 3.

b *Movetur loco, & quaſi conquaſſata* &c. Idem Lucretius ibidem a ℣. 599. ait:

Conquaſſatur enim tum mens, animæque poteſtas
Omnis, & hæc ipſo cum corpore labeſiunt.

Errat tamen manifeſte quo ad animam, quæ quamquam

ſata, ſede ſua migrat [c], reditura ſcilicet, quum medela, & ſanitas [d] domicilium ſuum reformaverit.

---

quam hominis pars ſit; non tamen eſt pars corporis, nec in aliquo determinato loco ipſius ſita eſt; ſed toto corpore, & tota in qualibet parte illius. Quod ad mentem autem, eo modo acceptam, quo paullo ſupra diximus, non in pectore; ſed in capite locanda eſt, ubi aut corrugatis, aut extenſis cerebri membranis, in quibus imprimuntur a ſenſibus objectorum imagines, ipſa quoque ita deturbatur, ut non poſſit a ſingulis illa repetere, & animæ contemplandas exhibere.

c *Sede ſua migrat*. Schottus: omiſſis duabus primis vocibus abſolute legit: *emigrat*. Al. *de ſede ſua migrat*, aut *emigrat*. Quomodo hoc contingat, expoſitum eſt a nobis cap. IX. de *Opif. Dei* ſeg. 4.

d *Quum medela, & ſanitas*. Bon. *medella*. Schottus: *& quum ſanitas*,

19

Nam quia juncta eſt anima cum corpore, ſi virtute careat, contagio ejus ægreſcit [a]: & imbecillitas [b] de ſocietate fragilitatis

---

a *Contagio ejus ægreſcit*. Lucretius ubi ſupra ℣. 520.

Ergo animus ſive ægreſcit, mortalia ſigna
Mittit, uti docui &c.

Ubi

tatis redundat ad mentem. Quum autem diſſociata fuerit a corpore, vigebit ipſa per ſe, nec ulla fragilitatis conditione tentabitur, quia indumentum fragile projecit[c].

Ubi adverte, quod ægrotare corporis eſt; ægreſcere autem animi: Unde Virgilius æn. XII. ℣. 45.

.... *Haud quaquam dictis violentia Turni*
Flectitur: exuperat magis, ægreſcitque medendo.

b *Et imbecillitas* &c. *Ad mentem redundare* dicitur, non ad animam, quæ utpote ſpiritualis, neque minui, neque labefactari poteſt, etſi dolore afficiatur. Schottus. *ad mortem redundat*.

c *Quia indumentum fragile projecit*. Anima rationalis in ſtatu ſeparationis non indiget, ſe ad corporea phantaſmata convertere, ut in uſum ſuæ naturalis intellectualis facultatis erumpat; ſed vel jampridem acquiſitis, aut noviter infuſis ſpeciebus utitur ad id intelligendum, quod ratione ſui ſtatus intelligere illi fas eſt: excepta tamen viſione beatifica, quæ non ſpecie aliqua creata; ſed per divinam ipſam eſſentiam immediate intellectui unitam, ineffabiliter ab ea exercetur.

20

Sicut oculus, inquit[a], *evulſus*, *ac ſepa-*

---

a *Sicut oculus*, inquit, *evulſus*, *ac ſeparatus a corpore*. Al. *evulſus a corpore*, *ac ſeparatus*. Quartum eſt Lucretii argumentum, falſo illi fundamento ni-

paratus a corpore nihil poteſt videre, ita & anima ſeparata nihil ſentire, quia & ipſa pars eſt corporis.

innixum, quod anima ſit pars corporis; ait enim eodem L. III. ℣. 563:

Scilicet avulſus radicibus ut nequit ullam
Diſpicere ipſe oculus rem ſeorſum corpore toto:
Sic anima, atque animus per ſe nihil poſſe videntur.

In Lactantii codicibus *evulſus*, in Lucretii verò *avulſus* conſtanter legitur: & quidem utroque modo bene; ille ab *evello* hic ab *avello*.

21

Falſum hoc, & diſſimile eſt; anima enim non pars corporis, ſed in corpore eſt. Sicut id, quod vaſe continetur, vaſis pars non eſt, nec ea, quæ in domo ſunt, partes domus eſſe dicuntur: ita nec anima pars eſt corporis, quia corpus vel vas animæ eſt, vel receptaculum [a].

Nam

a *Quia corpus vel vas eſt animæ, vel receptaculum.* Animam non eſſe corporis, ſed hominis partem, jam ſupra diſerte docuit Lactantius. Quo autem ſenſu corporis eam dixerit receeptaculum, patet ex iis, quæ ſuperius notavimus ad Seg. 4. hujuſce capitis. Nec mirum ſi heic eam non dixit, formam eſſe corporis

poris, ut voluiſſet Iſæus; nam reſpondebat Lucretio, qui in eodem lib. III. a ℣. 557. aſſeruerat:

Sic animus per ſe non quis ſine corpore, & ipſo
Eſſe homine, illius quaſi quod vas eſſe videtur,

quæ invicem pugnant, ut bene Lactantius oſtendit dicens: vaſis partem non eſſe, quod vaſe continetur, nec ea, quæ in domo ſunt, partes domus dici poſſe, ut falſum, & diſſimile oſtenderet exemplum de oculo avulſo.

22

Jam illud argumentum multo magis inane eſt, quo ait: *animam, quia* [a] *non citius emittatur ex corpore, mortalem videri, ſed paullatim ſe ex omnibus membris explicet a ſummis pedibus incipiens*, tanquam, ſi eſſet æterna, uno temporis momento erumperet: quod fit in his, qui ferro intereunt: quos autem morbus interimit, ſpiritum diutius exhalant, & paullatim frigeſcentibus membris anima efflatur.

a *Quo ait: animam quia* &c. quintum recitat Poetæ argumentum petitum ex eodem L.III. a ℣. 577.

Denique ſæpe hominem paullatim cernimus ire,
Et membratim vitalem deperdere ſenſum:
In pedibus primum digitos liveſcere, & ungues;
Inde pedes, & crura mori &c.

23

Quæ quum materia ſanguinis contineatur,

tur, ſicut lumen oleo [a], ea materia febrium calore conſumpta, neceſſe eſt membrorum ſumma quæque frigeſcere, quoniam venæ exiliores in extrema corporis porriguntur, & extremi, ac tenuiores rivi deficiente vena fontis areſcunt.

---

a *Sicut lumen oleo.* Ideo Betulejo non placet hocce exemplum, quia deficiente oleo flamma evaneſcit, quod de Anima rationali dici non poteſt; ſed paritas non eſt in eo ſita, in quo a Betulejo ponitur: quum Noſter de anima loquatur in ſtatu unionis cum corpore, cui arctiſſimo vinculo unitur, præſertim medio ſanguine, ſine quo naturaliter in eo ſubſiſtere nequit. Sicut lumen lampadarum, etſi ab oleo, in quo detinetur, diſtinctum ſit: eo tamen deficiente, evolare cernitur. Non ſemel hactenus hæc ſunt a nobis expoſita, unde vide dicta ad cap. XI. *de Opif. Dei* ſeg. 5. a cap. XVII. ſeg. 3. ad Lib. II. cap. X. Al. IX. ſeg. 22. ex iis enim, quæ indicatis locis annotavimus apparet, ſanguinem materiam eſſe non animæ; ſed in qua, & per quam anima corpori unitur, præcipuaſque efficit operationes.

24

Nec tamen, quia ſenſus corporis deficit, animæ ſenſum extingui, & occidere putandum eſt: non enim anima, corpore deficiente, ſed corpus anima decedente bruteſcit [a], quia ſenſum omnem trahit ſecum.

Quum

a *Anima deficiente bruteſcit*. Al. *putreſcit*. Quod nos cum melioribus etiam ſupra Lib. II. ſeg. 15. ex noſtro Codice, aliiſque reſtituimus; non enim ſtatim putreſcit corpus, Anima diſcedente, ſed ſenſum omnem amittit. Potius heic Noſter Lucretium reſpicit L. III. a ℣. 445., ubi ille dixit:

Mortalem tamen eſſe animam fateare neceſſe eſt:
Nec refert utrum pereat diſperſa per auras,
An contracta ſuis e partibus obbruteſcat;
Quando hominem totum magis, ac magis undique ſenſus
Deficit, & vita minus, & minus undique reſtat.

25

Quum autem præſens anima ſenſum ſuum tribuat corpori ᵃ, & vivere id efficiat, fieri non poteſt, ut non ipſa per ſe vivat, & ſentiat, quoniam ipſa eſt & ſenſus, & vita.

a *Senſum ſuum tribuat corpori*. Al. Tò *ſuum* omittunt.

26

Nam quod ait ᵃ:
. , . . . *quodſi immortalis noſtra foret mens*,

Nam

a *Nam quod ait*: Nempe Lucr. ubi ſupra ℣.611,

Non tam ſe moriens [b] *diſſolvi conquereretur ,*
Sed magis ire foras , veſtemque relinquere , ut anguis ,
Gauderet [c] *&c.*

---

b *Moriens* : Schottus : *Mœrens* .
c *Gauderet* verbum hocce in noſtro Bon. Codice deſideratur . Nos illud reſtituimus ex Aldi , & Schotti Mss.

27

Equidem nunquam vidi , qui ſe quereretur in morte diſſolvi : ſed ille fortaſſe Epicureum aliquem viderat , etiam dum moritur , Philoſophantem , ac de ſua diſſolutione [a] in extremo ſpiritu diſſerentem .

---

a *De ſua diſſolutione* . Al. *de ſui* .

28

Quomodo ſciri poteſt [a] , utrum diſſolvi ſe ſentiat , an corpore liberari , quum in exitu lingua muteſcat ? Nam dum ſentit , & lo-

---

a *Quomodo ſciri poteſt ?* Al. *fieri poteſt ?* Bene heic Betulejus notat . *Jugulat Epicureos ſuo ipſorum gladio . Inquit enim Epicurus apud Laertium* : Mors *nihil ad nos ; quod enim diſſolvitur , ſenſu privatur .*

loqui poteſt, nondum diſſolutus eſt: ubi diſſolutus eſt, jam nec ſentire, nec loqui poteſt: ita queri de diſſolutione aut nondum poteſt, aut jam non poteſt [b].

b *Aut nondum poteſt, aut jam non poteſt*. Epicurei ab hocce dilemmate ſe expedire nequeunt. Eorum enim doctrinam continet, quam ſuperioribus libris cum Firmiano noſtro expendimus.

29

At enim prius quam diſſolvatur [a], *intelligit ſe diſſolutum iri*. Quid? quod videmus pleroſque morientium non diſſolvi conquerentes (ut ait) ſed exire ſe, proficiſci, & ambulare, [b] teſtantes: idque aut geſtu ſignificant [c], aut, ſi adhuc poſſunt, & vo-

a *At enim prius quam diſſolvatur* &c. Diverſo hæc charactere ſcribi curavimus. Nam Epicureorum oppoſitionem continent, locumque ex noſtro Cod., aliiſque Romanis reſtituimus; ubi Al. legunt. *At enim non prius quam* &c. Legit nobiſcum etiam Schottus.

b *Sed exire ſe, proficiſci, & ambulare*. Al. Tò *ſe*. Al. Tò *proficiſci* omittunt. Al. poſt *ſe* addunt *& proficiſci*. Al. *exurere*. Schottus. *Forte*, inquit: *exuere*.

c *Idque aut geſtu ſignificant*: Immo in ægrotis, gravi morbo laborantibus, hocce, tamquam proxi- mæ

voce pronuntiant? Unde apparet, non diſſolutionem fieri, ſed ſeparationem, quæ declarat animam permanere.

mæ mortis ſignum eſſe, & audivimus, & jam pluries deprehendimus noſtris hiſce oculis, auribuſque, præſertim in juvenibus, lintea, ac ſtragula, quaſi ſarcinulas colligentibus; immo de itinere anxie diſſerentibus. Bon. *Adque* de more pro *atque*.

30

Cætera Epicurei dogmatis argumenta Pythagoræ repugnant [a], differenti, migrare animas de corporibus vetuſtate, ac morte confectis, & inſinuare ſe novis, ac recens natis: & eaſdem ſemper renaſci modo in homine, modo in pecude, modo in beſtia, modo in volucre, & hac ratione immortales eſſe, quod ſæpe variorum, ac diſſimilium corporum domicilia commutent.

a *Pythagoræ repugnant*. De Pythagoræ ſententia circa Animarum tranſmigrationem alibi ſuperius diximus, & iterum cum Noſtro dicturi ſumus ad Epitom. cap. XXXVI. ſeg. 7.

31

Quæ ſententia deliri hominis quoniam ridi-

ridicula, & mimo dignior, quam ſchola [a] fuit, ne refelli quidem ſerio debuit, quod qui facit, videtur vereri, ne quis id credat.

a *Mimo dignior, quam ſchola*. Al. *Nimio*. Al. *immo*: Al. *Minimo*. Al. addunt: *Scholaſtico*: vel: *quam ſcholaſtico*. Vide ad Lib. I. cap. xx. ſeg. 10. & ad Lib. II. cap. xix. Al. xviii. ſeg. 3.

32

Prætereunda ſunt igitur nobis ea, quæ [a] pro falſa contra falſum differebantur; ſatis eſt, ea refutaſſe, quæ contra verum diſputata ſunt.

a *Ea, quæ*. Al. pronomen omittunt.

CAP. XIII.

1

DEclaravi (ut opinor) animam non eſſe ſolubilem: ſupereſt citare teſtes, quorum authoritate [a] argumenta firmentur.

a *Quorum authoritate* &c. Heic recolenda ſunt, quæ ad L. v. cap. I. a ſeg. 26. annotavimus.

2

Neque nunc prophetas [a] in teſtimo-

nium vocabo, quorum ratio, & divinatio in hoc ſolo poſita eſt, ut ad cultum Dei, & ad immortalitatem ab eo accipiendam creari hominem doceant: ſed eos potius, quibus iſtos, qui reſpuunt veritatem, credere ſit neceſſe.

a *Prophetas*. Intellige eos, quos Deus ad populum ſuum miſit, & quorum libri apud Hebræos, & apud nos ſervantur, ad quorum inſtructionem ſcripti fuerunt, a Spiritu Sancto dictati. Eorum teſtimoniis heic Noſter non utitur, quoniam nullius ponderis erant apud Paganos; neque vim, & lucem ex adimplemento erant acceptura, ſicuti quum ea adhibuit Lib. IV. a ſeg. 2.

3

Hermes [a] naturam hominis deſcribens, ut doceret quemadmodum eſſet a Deo factus, hæc intulit: *καὶ τὸ αὐτὸ ἐξ ἀμφοτέρων φύσεων τῆ τε ἀθανάτου καὶ τῆ θνητῆ μίαν ἐποίει φύσιν ἀνθρώπου, τὸν αὐτὸν πῆ μὲν ἀθάνατον, πῆ δὲ θνητὸν ποιήσας, καὶ τοῦτον φέρων ἐν μέσῳ τῆς θείας καὶ ἀθανάτου φύσεως καὶ τῆς θνητῆς καὶ μεταβλητοῦ κατεστήσατο, ἵνα ὁρῶν ἅπαντα, ἅπαντα καὶ θαυμάσῃ.*

Sed

a *Hermes*: Nempe Triſmegiſtus; de quo ſupra jam ſæpe locuti ſumus. Locus heic laudatus eſt in Aſclepio cap. IV. Bon. Ms. Codex antiquior in ex-

extremo pugellę margine hanc verſionem exhibet diverſo, ſed ſatis antiquo charactere perſcriptam: *Et hoc idem ex utraque natura, tam immortales, quam etiam mortales unam efficiebant naturam hominis, eodem tam immortale, quam mortale facto: Et hunc ferens in medio divinæ, atque immortalis naturæ, mortalis etiam, atque mutabilis conlocavit, ut omnia quidem videns, omnia mirificet.* Quæ expoſitio ſatis barbara eſt, & ab ea, quam Apulejus fecit, parum diſcrepans.

4

Sed hunc fortaſſe aliquis in numero Philoſophorum computet [a], quamvis in deos relatus, Mercurii nomine ab Ægyptiis honoretur, nec plus & authoritatis tribuat, quam Platoni, aut Pythagoræ. Majus igitur teſtimonium requiramus:

a *In numero Philoſophorum computet*: Al. *computat*. Vide ad Lib.1. Cap.VI. ſeg.1.

5

Polytes quidam [a] conſuluit Apollinem Mile-

a *Polytes quidam*. Al. *Polites*. Quiſnam fuerit is, non conſtat, nam plurimi hoc ſunt nomine appel-

Mileſium, utrum ne maneat anima poſt mortem, an reſolvatur, & reſpondit his [b] verſibus:

> Ψυχὴ μὲν μέχρις δεσμοῖς πρὸς σῶμα κρατεῖται.
> Φθαρτὰ νοῦσα πάθη, θνηταῖς ἀλγηδόσιν εἴχει.
> Ἡνίκα δ' ἀνάλυσιν βροτέην μετὰ σῶμα μαρανθὲν.
> Ὠκίστην εὕρηται, ἐς αἰθέρα πᾶσα φορεῖται,
> Ἀιὲν ἀγήραος οὖσα μένει δ' εἰς πάμπαν ἀτειρής.
> Πρωτόγονος γάρ ἀῦ τοθεῦ διέταξε πρόνοια.

Quid

---

pellati. Vide Pauſan. in *Eliac.* L. VI. pag. m. 231. Virgil. Æn L. II. & V. Cato in *Originib.* narrat: Oppidum *Polytorium* ſic a Gentis authore dictum fuiſſe, qui quum Ænæa in Italiam veniens, ab eodem ſegregatus, ſibi illud condidedit. Hodie vulgo: *Polini*, Olim ſub Anco Rege pene deletum cum aliis in Latio quibuſdam locis, quod in eis Latini adverſus Romanos bellantes ſe reciperent. Vide Liv. L. I. Uterque autem Polytes, Pauſaniæ videlicet, & Virgilii, unus, & idem fuiſſe videtur ex traditis ab Homero Iliad. XIII. a V. 299. ubi ait:

> *Similis erat autem voce filio Priami Polytæ*
> *Qui Trojanorum ſpeculator ſedebat, pedum velocitate confiſus &c.*

Etiam Suidas in ἱππόμαχος eundem indicaſſe, cenſetur.

b *Et reſpondit his verſibus*, Quos ad oram ejuſdem codicis ſic latine redditos legimus; *Anima quidem* quam-

quamdiu vinculis in corpore tenetur, corruptibiles paſſiones ſentiens, mortalibus cedit doloribus, quum vero humanam (adde *ſolutionem* ab amanuenſi librario omiſſam) *velociſſimam poſt corruptum corpus invenerit, omnis ad æthera fertur, numquam ſeneſcens, & manet in æternum ſine pugna. Primogenia enim hoc divina diſpoſuit providentia.* Gallæus in Libello de *Oracul. Metric.* putat, Mileſium Apollinem non eſſe diverſum a Didimæo & hæic n.v. mallet hoc appellari potius nomine,quam illo. Vide Diſſ.xi.cap.II.§.II.

6

Quid carmina Sibyllina [a] ? Nonne hoc ita eſſe declarant, quum fore aliquando denuntiant, ut a Deo de vivis, ac mortuis judicetur ? quorum exempla paullo poſt inferemus.

a *Quid carmina Sibyllina ?* De iis vide Diſſ.xi. cap.II. §.vii. ſeq.

7

Falſa eſt ergo Democriti, & Epicuri [a], & Dicæarchi de animæ diſſolutione ſententia. Qui profecto non auderent de interitu animarum mago aliquo præſente diſſerere, qui

L 4 ſci-

a *Democriti, & Epicuri* &c. Vide ſuperius ad c. vii. ſeg.13. cap.viii. ſeg.8.

ſciret certis carminibus ciere ab inferis animas [b], & adeſſe, & præbere ſe humanis oculis videndas, & loqui, & futura prædicere: & ſi auderent, re ipſa, & documentis præſentibus vincerentur [c].

b *Cieri ab inferis animas*. Vide ad Lib. IV. cap. XXVII. ſeg. 8. ubi de falſa Ethnicorum credulitate egimus, qua putabant, mortuorum animas per incantiones evocari poſſe, & rerum futurarum, ac in obſcuris latentium, notitiam ab illis haberi; ut tentaſſe dicitur Pompejus in expeditione Pharſalica apud Lucan. Lib. VI., & Saul. I. Reg. cap. XXVIII. ℣. II. ſeq. qua de re vide Calmet. in differt. *de Samuele per viſum Sauli objecti*.

c *Re ipſa, & documentis præſentibus vincerentur*. In ea ſententia Lactantius fuiſſe hinc nonnullis viſus eſt, qua quidam imbuti, hoc ope Dæmonum re vera fieri poſſe, Deo permittente, aſſeverant; & quidem S. Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone ad animæ immortalitatem oſtendendam, Saulis ſupra recenſitam hiſtoriam adduxit.

8

Sed quia non pervidebant animæ rationem, quæ tam ſubtilis eſt, ut oculos humanæ mentis effugiat [a], interire dixerunt. Quid

a *Tam ſubtilis eſt, ut oculos humanæ mentis effugiat*. Novi aliquos, qui intelligere non poterant, quid

quid heic ſibi vellet Lactantius, quoniam anima noſtra, quamquam oculis corporeis attingi nequeat, mente tamen optime concipitur; acquieverunt nihilominus quum eis oſtendi, Lactantium heic loqui adverſus Epicureos, qui apud ipſum *de Opif. Dei*, cap. VIII. ſeg. 12. mentem per oculos corporeos videre negabant, quod ipſe argumentis ibidem allatis evincit. Ea conferas ſi idem dubium tibi occurrit.

9

Quid Ariſtoxenus [a], qui negavit omnino ullam eſſe animam, etiam cum vivit in corpore? ſed ſicut in fidibus [b] ex intentione nervorum effici concordem ſonum, atque cantum, quem muſici harmoniam vocant: ita in corporibus ex compage viſcerum, ac vigore membrorum vim ſentiendi exiſtere, quo nihil dici delirius poteſt.

Ve-

a *Quid Ariſtoxenus*: De quo vide a nobis dicta ad Lib. *de Opif. Dei*: cap. XVI. ſeg. 13. Diſſ. XXV. cap. VII. §. XVI.

b *Sicut in fidibus*: De hac opinione videndus Plato in Phœdone, & Cicero L. I. *Tuſcul. quaſt.* Eam. refert Lucretius L. III. a ℣. 98.

Quamvis multa quidem ſapientum Turba putavit,
Senſum animi, certa non eſſe ſede locatum;
Verum habitum quemdam vitalem corporis eſſe,
Harmoniam Graji quam dicunt, quod faciat nos
Vivere cum ſenſu, nulla quum in parte ſiet mens.

10

Verum ille oculos quidem habuit incolumes, cor tamen cœcum [a], qui vivere ſe & habere mentem, qua idipſum cogitaverat, non videbat.

a *Cor tamen cæcum*: Schottus: *certamen cæcum*.

11

Sed pleriſque hoc Philoſophis accidit, ut putarent omnino non eſſe, quicquid oculis non apparet: etiam quum mentis acies multo clarior debeat [a] eſſe, quam corporis, ad ea perſpicienda, quorum vis, ac ratio ſentitur potius, quam videtur.

a *Eſſe debeat*. Bon. *debeat eſſe*. Schottus: *debet*.

CAP. XIV.

1

QUoniam de immortalitate diximus animæ, ſequitur ut doceamus, quatenus homini, & quando tribuatur: ut in hoc quoque pravitatis, ac ſtultitiæ ſuæ perſpiciant errores, qui mortales quoſdam, decretis, placitiſque mortalium, deos eſſe factos

Digitized by Google

ctos opinantur, vel quod artes invenerunt, vel quod uſum quarundam [a] frugum docuerant, vel quod utilia vitæ hominum prodiderant, vel quod immanes beſtias interemerant.

---

a *Quarundam*. Schottus, & Bon. *quarumque*,

2

Quæ merita quam longe ab immortalitate ſemota ſint, & docuimus in prioribus libris [a], & nunc docebimus, ut appareat, ſolam eſſe juſtitiam, quæ vitam homini pariat æternam, & ſolum Deum, qui æternæ vitæ præmium largiatur.

---

a *In prioribus libris*. Præcipue vero Lib.1.cap.VIII. ſeg.8. ſeq.

3

Nam illi, qui ſuis meritis immortales facti eſſe dicuntur, quia nec juſtitia, nec ulla in his vera virtus fuit, non immortalitatem ſibi; ſed mortem peccatis, ac libidinibus quæſierunt: nec cæleſte præmium, ſed inferna ſupplicia meruerunt, quæ pendent [a] ſimul

---

a *Supplicia meruerunt, quæ pendent* Bunem. de more

mul cum iis omnibus, qui eos coluerunt: cujus judicii propinquare tempus oſtendam [b], ut & juſtis merces digna ſolvatur, & pœna merita impiis irrogetur.

Pla-

more heic Tò *meruere* poſitum eſſe dicit, pro *accipere*, & *conſequi*. Heuman. *ſupplicia pendere* ideo improbat, quia latini: *pœnas pendere* dicunt non *ſupplicia*. Ambo tamen falluntur; Primus quidem contra ſanam Theologiam, quæ ex revelatis a Deo docet, pœnas impios, & Gaudia æterna Beatos in hac vita ſuis operibus meruiſſe; ut ſupra L.v. Cap.xxiii. ſeg.5. oſtendimus. Secundus autem, quia non ſolum Virgilius L.vi. æn. a ℣.739. ait:

. . . . *Verumque malorum*

Supplicia expendunt; ſed etiam Tacitus L.xiii. Annal.xxxii. Juſtin. L.xi. cap.iv. & Silius Ital. L.vi. ℣.588. hunc loquendi modum uſurparunt, ut bene Bunem. vidit; His adde Livium L.iv. Bell. Maced. *Satis pro teneritate unius hominis ſuppliciorum penſum eſt*.

b *Cujus judicii propinquare tempus oſtendam*. Patres fere omnes, primis Eccleſiæ ſæculis, proximum ſibi eſſe diem judicii dixerunt; Lactantius vero & tempus ſe definire poſſe putavit, quo auſu quandam arrogantiæ notam effugere jure non potuit, quum clariſſime Chriſtus Dominus Matth.xxiv. V.36. dixerit: *De die autem illa, & hora nemo ſcit, neque Angeli Cœlorum, niſi ſolus Pater*. Et Marci xiii. V. 32. additur: *Neque Filius*. Unde bene, & opportune heic cum Schotto notamus: *Parum certa eſſe omnia, quæ Lactantius partim ex ſacris*,

par-

partim a Prophanis, partim ipſe de ſuo cerebro, (quod equidem non credo) *de promta videtur adduxiſſe ab hoc cap.* XIV. *ad calcem uſque libri. Ingenioſe certe, & candide ex multis authoribus, qui fatalia hæc tempora, atque adeo ipſum adventum Chriſti Domini noſtri glorioſo prædivinare nobis videntur, ſed certiora ſunt, quæ nobis indicat ſeries ille Apocalypſeos S. Joannis a cap.* XII. *uſque ad finem* XX., *in quibus nullum eſt humanum inventum.* Vide infra cap. XXV, a ſeg. 3.

4

Plato, & multi alii Philoſophorum [a], quum ignorarent originem rerum, ſupremumque illud tempus, quo mundus eſſet effectus, multa millia ſeculorum fluxiſſe dixerunt, ex quo hic pulcherrimus mundi extiterit ornatus, ſecuti fortaſſe Chaldæos [b] qui

a *Plato, & multi alii Philoſophorum.* Critias apud Platonem in Timæo, Solonem a quodam Sacerdote Ægyptio accepiſſe, narrat, quandam Deam, quæ ab Ægyptiis *Neithen*, a Græcis vero *Athenan*, vocabatur, duas excitaſſe urbes, & ex terra, & Vulcano, acceptis ſeminibus, viris, fœminiſque repleviſſe, quorum res geſtas ante novem annorum millia breviter ille idem Sacerdos perſtrinxit.

b *Secuti fortaſſe Chaldæos.* Al. *ſicuti fortaſſe Chaldæi.* De iis Cicero L. I. de divinat. ſub initium: *Chaldæi*, ait: *non ex artis, ſed ex gentis vocabulo nomi-*

qui (ut Cicero tradidit in libro de Divinatione primo) quadringenta ſeptuaginta millia annorum monimentis comprehenſa ſe habere , delirant . In quo quia ſe poſſe argui non putabant , liberum ſibi crediderunt eſſe mentiri .

---

nominati , diuturna obſervatione ſyderum , ſcientiam putantur effeciſſe , ut prædici poſſet , quid cuique eventurum &c. Et infra : *Condemnamus , inquam , hos aut ſtultitiæ , aut vanitatis, aut imprudentiæ, qui* ccccLxx. *millia annorum , ut ipſi dicunt , monumentis comprehenſa continent , & mentiri judicamus* &c.

5

Nos autem , quos divinæ literæ ad ſcientiam veritatis erudiunt , principium mundi , finemque cognovimus, de quo nunc in fine operis diſſeremus , quoniam de principio in ſecundo libro [a] explicavimus .

---

a *In ſecundo Libro*: Nempe cap. VIII. ſeq.

6

Sciant igitur Philoſophi , qui ab exordio mundi ſæculorum millia enumerant, nondum ſextum milleſimum annum eſſe concluſum [a] , quo numero expleto , conſummationem fieri neceſſe eſt [b] , & humanarum rerum

rum ſtatum in melius reformari, cujus rei argumentum prius eſt enarrandum, quo ratio eluceat [c].

a *Nondum ſextum milleſimum annum eſſe concluſum*. S. Cyprian. *in Exhort. ad Martyr.* Sub initio ait: *ſex millia annorum jam pene compleatur, ex quo hominem Diabolus impugnat*. S. Auguſtinus Lib.XII. *de Civit. Dei* cap. x. *Ex litteris ſacris*, ait, *ab inſtitutione hominis nondum completa annorum ſex millia computemus*, quæ in Diſſ. XXII. cap. I. §. XIII. & cap. II. §. VIII. a nobis ſunt digeſta in tabulis chronologicis.

b *Quo numero expleto, conſummationem fieri neceſſe eſt*. An heic Lactantius erraverit, ac proinde dignus ſit cenſura, expendimus in Diſſ.XXXIV.cap.III. §. IV.

c *Ratio eluceat*. Al. *eluceſcat*. Al. *quo ratio elluceat*.

7

Mundum Deus, & hoc rerum naturæ admirabile opus (ſicut arcanis [a] ſacræ Scripturæ continetur) ſex dierum ſpatio conſummavit, diemque ſeptimum, quo ab operibus ſuis requieverat, ſanxit.

Hic

a *Sicut arcanis ſacræ Scripturæ continetur*. Arcana dicuntur Sacrarum Scripturarum Oracula non ſo-

ſolum quia Ethnicis non oſtendebantur; verum etiam quoniam ea intelligere non cujuſcumque hominis eſt.

8

Hic eſt autem dies ſabbati [a], qui lingua Hebræorum a numero nomen accepit; unde ſeptenarius numerus legitimus, ac plenus eſt. Nam & dies ſeptem ſunt, quibus per vicem revolutis, orbes conficiuntur annorum [b] & ſeptem ſtellæ, quæ non occidunt [c], & ſeptem ſydera, quæ vocantur errantia [d]: quorum diſpares curſus, & inæquales [e] motus rerum, ac temporum varietates efficere, creduntur.

Ergo

a *Dies ſabbati*: A numero ſeptenario ne, an a verbo *requieſco* hocce vocabulum originem trahat, diximus in Diſſ. XXI. Cap. I. §. II. Quid autem de eo ſenſerint Ethnici, videri poterit apud Plutar. *Quæſt.* v. *Convival.* Joſeph. L. I. *contra Appion.* Juſtin. hiſt. L. XXXVI.

b *Orbes conficiuntur annorum*, Scilicet per hebdomadas, quæ ſeptem dierum ſpatio conſtant.

c *Septem ſtellæ, quæ non occidunt*. Quæ nimirum Urſæ majoris ſignum Aſtronomis componunt.

d *Quæ vocantur errantia*: Planetæ ſcilicet, de quibus, ac de aliis ſeptenariis, vide Gellium L. II. cap. XXI., & L. III. cap. X. Macrob. *in Somn. Scipion.* Lib. I. cap. VI. S. Baſil. Homil. II. *Hexam.* Cælium Rhod. L. XII. cap. XXXVI. &c.

e *Et inæquales*. Al. *inæquabiles*.

9

Ergo quoniam ſex diebus cuncta Dei opera perfecta ſunt; per ſæcula ſex, id eſt annorum ſex millia manere in hoc ſtatu mundum neceſſe eſt. Dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur, ſicut indicat propheta, qui dicit[a]: *Ante oculos tuos Domine mille anni, tanquam dies unus*.

a *Propheta, qui dixit:* David *Pſal.* xc. ℣. 5.

10

Et ſicuti Deus[a] ſex illos dies in tantis rebus fabricandis laboravit, ita & religio ejus, & veritas in his ſex millibus annorum laboraret neceſſe eſt[b], malitia prævalente, atque dominante[c].

a *Et ſicuti Deos.* Aldus quoque ſic legit. Al. *& ut Deus.*

b *Laboraret, neceſſe eſt.* Sic etiam Schottus. Fulvius Urſinus, & Al. *laboret*. Al. *laborare*.

c *Malitia prævalente, atque dominante*. Al. *ac dom.* Al. *alias dominante*. Al. *utique*.

11

Et rurſus quoniam perfectis operibus

requievit die ſeptimo, eumque benedixit[a]; neceſſe eſt, ut in fine ſexti milleſimi anni malitia omnis aboleatur è terra, & regnet per annos mille juſtitia[b], ſitque tranquillitas, & requies a laboribus, quos mundus jamdiu[c] perfert.

---

a *Eumque benedixit*: Latini cum tertio caſu verbum hocce elegantius jungunt. Apulejus *ad Aſcepl.* & Petron. *in Satyr.* cum accuſativo.

b *Regnet per annos mille juſtitia*: De hoc Chriſti Millenario Regno infra cap. XXIV. ſeg. 2., & in Diſſ. XXXIII. cap. III. §. IV. luculentius agitur.

c *Jamdiu perfert*. Al. *perpeſſus eſt*. Al. *perfectus tulit*.

12

Verum quatenus id eveniat, ordine ſuo explicabo. Sæpe diximus minora & exigua magnorum figuras, & præmonſtrationes[a] eſſe, & hunc diem noſtrum, qui ortu ſolis, occaſuque finitur, diei magni ſpeciem gerere, quem circuitus annorum mille determinat.

Eodem

---

a *Præmonſtrationes*. Etſi vox iſta non reperiatur apud latinos Scriptores; tamen verbum *præmonſtro*, ac *Præmonſtrator* in exemplis a Stephanis, & a Nizolio allatis non ſemel reperies.

13

Eodem modo etiam figuratio terreni hominis cæleſtis populi præferebat in poſterum[a] fictionem. Nam ſicut perfectis omnibus,quæ in uſum hominis molitus eſt[b] Deus, ipſum hominem ſexto die ultimum fecit, eumque induxit in hunc mundum, tanquam in domum jam diligenter inſtructam, ita nunc ſexto die magno verus homo verbo Dei fingitur, id eſt ſanctus populus doctrina, & præceptis Dei ad juſtitiam figuratur.

---

a *In poſterum*. Schottus: *in populis*.
b *Quæ in uſum hominis molitus eſt*. Schottus: *quaſi in uſum* &c. Al. *metitus eſt*.

14

Et ſicut tunc mortalis, atque imperfectus è terra fictus eſt, ut mille annis in hoc mundo viveret[a], ita nunc ex hoc terreſtri ſæculo perfectus homo fingitur: ut vivificatus

M 2

---

a *Ut mille annis in hoc mundo viveret*. Non tamen completis; Nam ex cap.v. Geneſ. ℣. 5. habetur: *Et factum eſt omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus eſt*; Evam autem decennio poſt mortuam eſſe, neſcio quo fundamento Marianus Schotus aſſeruit.

tus à Deo in hoc eodem mundo per annos mille dominetur[b].

b *Ut vivificatus a Deo in hoc eodem mundo per annos mille dominetur*: Iterum heic mentio ſit de Regno Chriſti millenario, de quo L.C. Al. *dominaretur*.

15

Quomodo autem conſummatio futura ſit, & qualis exitus humanis rebus impendeat, ſi quis divinas literas fuerit ſcrutatus, inveniet.

16

Sed & ſæcularium prophetarum congruentes cum cæleſtibus voces, finem rerum, & occaſum poſt breve tempus annuntiant, deſcribentes quaſi fatigati[a], & dilabentis[b] mundi ultimam ſenectutem.

a *Quaſi fatigati*: Schottus: *quaſi ſatisfacientis*.
b *Dilabentis*. Bon. *dislabentis*. Al. *delabentis*.

17

Quæ vero[a] a Prophetis, & vatibus futura

a *Quæ vero*. Al. *quæ vera*.

tura eſſe dicantur, priuſquam ſuperveniat extrema illa concluſio, collecta ex omnibus, & coarcervata ſubnectam.

C A P. XV.

§ 1 §

EST in arcanis ſanctarum literarum, tranſcendiſſe in Ægyptum, cogente inopia rei frumentariæ, principem Hebræorum [a] cum omni domo, & cognatione.

---

a *Principem Hebræorum*. Schottus addit *Iſraelem*. Breviter, ac ſummatim hiſtoriam Judaicam perſtringit ab adventu domus Jacob in Ægyptum, uſque ad exitum ab eadem Terra, duce Moyſe, ex cap.XLII. Geneſ.

§ 2 §

Cujus poſteri, quum diutius in Ægypto commorantes, in magnam gentem creviſſent, & gravi, atque intolerando [a] ſervitutis jugo premerentur, percuſſit Ægyptum Deus inſanabili plaga, & populum ſuum liberavit, traductum medio mari, quum diſciſſis

M 3 flu-

---

a *Atque intollerando*. Al. *intollerabili*. Al. *tolerando*, quod copiæ cauſſa dictum putat Bunem. quorum.

fluctibus [b], & in utramque partem dimotis, per ſiccum [c] populus graderetur.

rumdam codicum Mſſ. authoritate fultus. Confer dicta L. IV. cap. X.

b *Diſciſſis fluctibus*. Al. *diſcuſſis*. L. IV. cap. X. ſeg. 7. *Angelo ſcindente aquam*, Aldus; *quum diſciſſis fluctibus*. Al. *ut*.

c *Dimotis per ſiccum*. Schottus: *motis*. Al. *ut per ſiccum*.

3

Conatuſque Rex Ægyptiorum profugos inſequi, coeunte in ſtatum ſuum [a] pelago, cum omnibus copiis interceptus eſt.

a *In ſtatum ſuum pelago*. Scite Bun. notat, Sulpicium Severum Lactantii imitaſſe dictionem præcipue hanc L. I. cap. XIII.

4

Quod facinus tam clarum, tamque mirabile, quamvis ad præſens virtutem Dei hominibus oſtenderet, tamen præſignificatio [a], & figura majoris rei fuit, quam Deus idem

a *Præſignificatio*. Al. *præfiguratio*: Etiam hanc vocem novam dicit Bunem. ſed a verbo *præſignifico*, quo utitur Cicer. L. II. *de Divinat.* optime deducitur.

idem in extrema temporum conſummatione facturus eſt: liberabit enim plebem ſuam de gravi ſervitute mundi [b].

b *De gravi ſervitute mundi*. Schottus: *Principum hujus mundi*.

5

Sed quoniam tunc una plebs Dei,& apud unam gentem fuit, Ægyptus ſola percuſſa eſt [a]. Nunc autem, quia Dei populus ex omnibus linguis congregatus, apud omnes gentes commoratur, & ab his dominantibus premitur [b], neceſſe eſt, univerſas nationes, id eſt orbem totum, cæleſtibus plagis verberari, ut juſtus, & cultor Dei populus liberetur.

a *Ægyptus ſola percuſſa eſt*. Al. *Ægyptus tunc ſola* &c.

b *Et ab his dominantibus premitur*. Al. *& ab his dominatur, & premitur*. Al. *dominationibus*.

6

Et ſicut tunc ſigna facta ſunt, quibus futura clades Ægypti oſtenderetur [a], ita in

 ulti-

a *Ægypti oſtenderetur*. Al. *Ægyptiis*. Schottus utramque delet vocem.

ultimo fient prodigia miranda per omnia elementa mundi, quibus imminens exitus univerſis gentibus intelligatur.

7

Propinquante igitur hujus ſæculi termino, humanarum rerum ſtatum commutari neceſſe eſt, & in deterius nequitia invaleſcente prolabi, ut jam noſtra hæc tempora [a], quibus iniquitas, & malitia uſque ad ſummum gradum crevit, in illius tamen inſanabilis mali comparationem felicia, & prope aurea poſſint judicari.

---

a *Ut jam noſtra hæc tempora*. Al. *ut etiam* &c. Al. *ut & jam*: Schottus, & Aldus noſtram lectionem tenent.

8

Ita etenim juſtitia rareſcet [a]: ita impietas, & avaritia, & cupiditas, & libido crebreſcent: ut ſi qui tum forte fuerint boni, prædæ ſint ſceleratis, ac divexentur undique ab injuſtis: ſoli autem mali opulenti ſint, boni verò in omnibus contumeliis, atque

---

a *Etenim juſtitia rareſcet*. Eſt vox Poetica, inquit Walchius, ſed non vidit eam uſurpare conſueviſſe Columell. Tacit. Plin. &c.

que in egeſtate jactentur[b]. Confundetur omne jus, & leges interibunt.

b *Jactentur*. Al. *jactantur*. Hæc Heumanno addita viſa ſunt, ſed non eſt unde appareat.

9

Nihil quiſquam tunc habebit, niſi aut quæſitum[a], aut defenſum manu. Audacia, & vis omnia poſſidebunt. Non fides in hominibus, non pax, non humanitas, non pudor, non veritas erit, atque ita neque ſecuritas, neque regimen, neque requies a malis ulla.

a *Niſi aut quæſitum, aut defenſum manu*: Al. *aut male quæſitum* &c.

10

Omnis enim terra tumultuabitur: frement ubique bella: omnes gentes in armis erunt, & ſe invicem oppugnabunt. Civitates inter ſe finitimæ præliabuntur; & prima omnium Aegyptus[b] ſtultarum ſuperſtitionum luet pœnas, & ſanguine, velut flumine operietur.

Tunc

a *Ubique bella*. Schottus: *undique*.

b *Et prima omnium Ægyptus*. Reſpicit ad vaticinia Sibyllina, de quibus infra.

11

Tunc peragrabit gladius [a] orbem, metens omnia, & tanquam meſſem cuncta proſternens. Cujus vaſtitatis, & confuſionis hæc erit cauſſa, quod Romanum nomen [b], quo nunc regitur orbis (horret animus dicere: ſed dicam; quia futurum eſt) tolletur de terra, & imperium in Aſiam revertetur [c], ac rurſus oriens dominabitur, atque occidens ſerviet; Nec

a *Tunc peragrabit gladius*. Al. *clades*: Intellige pro Gladio divinam vindictam:

b *Romanum nomen .... tolletur de terra*. Infra cap. xxv. *quum caput illud orbis occiderit*. In Carminibus Sibyllinis Gallæanæ editionis L. VIII. p. 693. habetur: πρῶτα &c. Id eſt; *Sed Romæ præcedet inluctabilis ira*. Matt. Dreſſerus ſinguluri ſcripto locum hunc explicavit; dicavitque Rudulpho II. Imperatori, nam non ſolus Lactant. hanc prophetiam refert ſed Tertull. *ad Scapulam*: & cap. XXXII. *Apol.* Optatus Milev. *contra Donatiſt. L. II.* Auguſt. L.xx. *de Civit. Dei* c. x., eamque ex cap. II. Daniel. & ex Epiſt. II. S. Pauli Apoſtol. ad *Theſſal.* erutam eſſe, putat etiam S. Thomas ibidem Lect. II. quod in comment. ad eandem Epiſtolam dixerat etiam S. Ambroſius, cujus verba refert heic Betulejus ex Bibliandro, qui *Imperium Romanum* a S. Silveſtro Summo Romano Pontifice extinctum fuiſſe blaterat.

c *Et imperium in Aſiam revertetur*. Hinc collige ſer-

ſermonem eſſe de ſæculari, non autem de Eccleſiaſtica Poteſtate. Hæc quippe Chriſtum, non homines, habuit authorem: Matt. xvi. ℣. 51. *Tu eſt Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.*

12

Nec mirum cuiquam debet videri, ſi regnum tanta [a] mole fundatum, ac tandiu per tot, & tales viros auctum, tantis denique opibus confirmatum, aliquando tamen corruet; nihil eſt enim humanis viribus [b] laboratum, quod non humanis æque viribus deſtrui poſſit, quoniam mortalia ſunt opera mortalium.

a *Tanta mole* Virgil. æn. V. 37.
Tantæ molis erat Romanam condere gentem.
b *Nihil eſt enim humanis viribus laboratum*. Confirmo hinc, quæ in ſuperiori nota dixi.

13

Sic & alia prius regna; quum diutius [a] floruiſſent, nihilo minus tamen occiderunt. Nam & Aegyptios, & Perſas, & Græcos, & Aſſyrios, proditum eſt, regimen habuiſſe terrarum [b], quibus omnibus deſtructis, ad Roma-

a *Diutius*: Schott. *divitias*.
b *Regimen habuiſſe terrarum*: Scilicet longe, late-

manos quoque rerum ſumma pervenit. Qui quanto cæteris omnibus regnis magnitudine antiſtant [c], tanto majore decident lapſu: quia plus habent ponderis ad ruinam, quæ ſunt cæteris altiora.

---

teque diffuſum; non tamen Romano Imperio æqualem quum hoc ad extremas uſque tunc cognitas orbis partes ſeſe dilataverit.

c *Magnitudine antiſtant*: Sic nobiſcum plurimi Al. *anteſtant*. Vide Vorſtium *de latinit. ſelecta T.* IV. c. II. Iſæus primam vocem omiſit.

14

Non inſcite Seneca Romanæ urbis tempora diſtribuit in ætates [a]. Primam enim dixit

---

a *Diſtribuit in ætates*. Al. *per ætates*: Qui ſuperſunt hodie Senecæ libri, hanc Senecæ ſententiam non habent; reperitur tamen apud Florum in Prooemio Lib. I. ubi ait: *Si quis ergo Populum Romanum quaſi hominem conſideret, totamque ejus ætatem percenſeat, ut cœperit, atque adoleverit, ut quaſi ad quemdam juventæ florem pervenerit, ut poſtea, velut conſenuerit, quatuor gradus, proceſſuſque ejus inveniet* &c. Hinc plurimi putarunt, Lactantium L. Annæum pro L. Annæo Seneca laudaſſe; alii vero ipſum Senecam authorem eſſe dixerunt *Rerum Romanarum Epitomes*. Vide Gerard. Jo. Voſſium L. I. *de Hiſtor. Lat.* & Fabric. *Bibl. Lat. Tom. I. L. II. c.* IX. *n.* X.

xit infantiam ſub rege Romulo fuiſſe[b],a quo & genita, & quaſi educata ſit Roma: deinde pueritiam ſub cæteris regibus[c], a quibus & aucta ſit, & diſciplinis pluribus, inſtitutiſque formata: at vere, Tarquinio regnante, quum jam quaſi adulta eſſe cœpiſſet, ſervitium non tuliſſe, & rejecto ſuperbæ dominationis jugo, maluiſſe legibus obtemperare, quam regibus: quumque eſſet adoleſcientia ejus fine Punici belli terminata[d]; tum denique confirmatis viribus cœpiſſe juveneſcere[e].

Subla-

b *Primam enim dixit infantiam ſub rege Romulo fuiſſe*. Florus ubi ſupra: *Prima ætas ſub Regibus fuit prope ducentos quinquaginta per annos, quibus circum ipſam matrem ſuam cum finitimis luctatum eſt.*

c *Deinde pueritiam ſub cæteris Regibus* &c. Florus ubi ſupra: *hæc erit ejus infantia*.

d *Cumque eſſet adoleſcentia ejus fine Punci belli terminata*; Florus ubi ſupra: *Sequens a Bruto, Collatinoque Conſulibus in Appium Claudium, Q. Fulvium Coſſ. ducentos quinquaginta annos patet, quibus Italiam ſubegit. Hoc fuit tempus viris, armiſque incitatiſſimum: Ideo quis Adoleſcentiam dixerit?*

e *Quum denique confirmatis viribus cœpiſſet juveneſcere*: Florus ibidem *dehinc ad Cæſarem Auguſtum ducenti anni, quibus totum orbem pacavit. Hic jam ipſa juventa Imperii, & quaſi quadam robuſta maturitas.*

15

Sublata enim Carthagine[a], quæ tam diu æmula imperii fuit[b], manus ſuas in totum orbem, terra, marique porrexit: donec rebus cunctis, & nationibus imperio ſubjugatis[c], quum jam bellorum materia deficeret, viribus ſuis male uteretur, quibus ſe ipſa confecit.

a *Sublata enim Carthagine* &c. Florus itidem: *A Cæſare Auguſto in ſæculum noſtrum haud multo minus anni ducenti, quibus inertia Cæſarum, quaſi conſenuit, atque decoxit; niſi quod ſub Trajano principe movet lacertos, & præter ſpem omnium, ſenectus Imperii, quaſi reddita juventute, revireſcit.*

b *Imperio ſubjugatis.* Al. prima voce carent.

16

Et hæc fuit prima ejus ſenectus[a]: quum bellis lacerata civilibus, atque inteſtino malo preſſa, rurſus ad regimen ſingularis imperii recidit, quaſi ad alteram infantiam revoluta. Amiſſa enim libertate[b], quam Bru-

a *Et hæc fuit prima ejus ſenectus*: Sic nobiſcum Schotus. Al. copulam omittunt.

b *Amiſſa enim libertate* &c. Gallæus falſi arguit. Lactantium in nomine Annæi, quod id proprium fuerit.

Bruto duce, & autore defenderat, ita conſenuit tanquam ſuſtentare ſe ipſa non valeret, niſi adminiculo regentium niteretur.

rit Senecarum. At ubinam heic Annæi mentio facta eſt? Scilicet quum in Salmaſii ſchedis legiſſet, etiam Florum Annæum fuiſſe appellatum, nec quid ille ſibi vellet, intellexiſſet, ſuum Lactantio tribuit errorem. Vide ſuperius ſeg. 4. (a)

17

Quod ſi hæc ita ſunt, quid reſtat, niſi ut ſequatur interitus ſenectutem? Et id futurum brevi, conciones Prophetarum denuntiant [a] ſub ambage aliorum nominum, ne facile quis intelligat.

a *Conciones Prophetarum denunciant*: Præcipue Daniel. c. II. v. 41. *Porro quia vidiſti pedum, & digitorum partem teſtæ figuli, & partem ferream: regnum diviſum erit, quod tamen de plantario ferri orietur.* Et ℣. 42. *ex parte regnum erit ſolidum, & ex parte contritum.* ℣. 44. *Comminuet autem, & conſumet univerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.* Confer etiam Apocal. c. XVII. & ad utrumque locum Interpretes.

18

Sibyllæ tamen [a] aperte interituram eſſe Romam loquuntur, & quidem judicio Dei, quod

quod nomen ejus habuerit inviſum, & inimica juſtitiæ, alumnum veritatis populum trucidarit.

a *Sibyllæ tamen* &c. Lib. III. pag. 408. edition. Gallæan. V. 1. *Orac. Sibyll.*

Fiet Romæ Ruina. Ita digerit omnia fatum.

Et Lib. VIII. *a* V. 17. pag. 679.

Par tibi de Cælo, ſublimis vertice Roma,
Adveniet clades, & flexo vertice prima
Complanaberis, & tota abſumeris ab igne:
In nova devergens ſola: divitiæque peribunt.

19

Hyſtaſpes quoque [a], qui fuit Medorum Rex antiquiſſimus, a quo amnis quoque nomen accepit [b], qui nunc Hydaſpes dicitur, admi-

a *Hyſtaſpes quoque*: Sic etiam Schöttus. Hunc alii *Hydaſpem*. Al. *Hiſtaſpen*. Al. *Hyſtaſpam* appellant, quam nominum varietatem non ſolum ex Librariis amanuenſibus, verum etiam ex diverſitate opinionum originem habuiſſe cenſeo: Siquidem Agathiæ etiam temporibus, ſæculo nimirum VI., res ſane ambigua erat, nec facile dignoſci poterat, ut idem Author ſcribit L. I. *Hiſt. An Darii Pater, an alius quiſpiam hic fuerit Hiſtaſpes*. Vide Diſſ. XL c. II. §. VI.

b *A quo Amnis quoque nomen accepit*. Scilicet *Hidaſpes* prope Suſam urbem fluens, de quo Virgilius L. IV. *Georg. a v.* 210.

Præ-

admirabile ſomnium [c], ſub interpretatione vaticinantis pueri ad memoriam poſteris tradidit: ſublatum iri ex orbe Imperium, nomenque Romanum; multo ante præfatus, quam illa Trojana gens conderetur [d].

Præterea Regem non ſic Ægyptus, & ingens Lydia, nec Populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes
Obſervant . . . .

Fluvius enim iſte diverſus eſt ab alio ejuſdem nominis, quem terminum fuiſſe itineris Alexandri Macedonis, narrant Hiſtorici, eumque apud Nyſam in Indum profluere, deſcribunt in ſuis tabulis Geographi; unde Lucanus L. VIII. Pharſ. a v. 227.

Arva ſuper Cyri, Chaldæique ultima regni,
Qua rapidus Ganges, & qua Nyſæus Hydaſpes &c.

c *Admirabile ſomnium*: Sic omnino legendum puto cum noſtro Bon. Cod., ac melioribus exemplaribus, non ut alii legunt: *Admirabilis omnium*; quæ nec latina dictio eſt, nec comode ad fluvii illius aquas, quibus unice Perſarum Reges, etiam peregre profecti, utebantur, referenda. *Admirabilem ſomniorum eventum, & ſomniorum interpretationem*: non inſolens eſt Lactantii dicendi modus. Immo Perſis ſolenne erat per ſomniorum interpretationem futura perſcrutari, ut ex Danielis Prophetia c. II. apparet.

d *Quam illa Trojana gens conderetur*. Vide Diſſ. ſuperius indicatam; L. c.

CAP. XVI.

1

QUomodo autem id futurum ſit, ne quis incredibile arbitretur, oſtendam. In primis multiplicabitur regnum, & ſumma rerum poteſtas per plurimos diſſipata, & conciſa minuetur. Tunc diſcordiæ civiles in perpetuum ſerentur [a], nec ulla requies bellis [b] exitialibus erit, donec reges decem [c] pariter exiſtant, qui orbem terræ, non ad regendum, ſed ad conſumendum partiantur. His

---

a *In perpetuum ſerentur*. Optima eſt Latinorum Phraſis *certamina*, *bella*, *lites*, *ac diſcordias ſerere* præcipue apud Livium. Unde male alii legunt cum Schotto: *in perpetuum ferentur*. Al. *imperpetuo*.

b *Nec ulla requies belli*. Mallet Bunem. *a bellis*; ſed nihil mutandum: Ovidius enim Metam. VII. p. 270. v. 21.

Auram expectabam; requies erat illa labori.

Hæc autem, tanquam ante extremum Judicii diem futura, prædicta ſunt apud Matth. XXIV. Marc. XIII. Luc. XXI.

c *Donec Reges decem*: Daniel. cap. VII. v. 24. *Porro cornua decem ipſius Regni, decem Reges erunt*. quos temere aliqui ſic enumerant. Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Germaniæ, Angliæ, Illyrici, Græciæ, Africæ, Ægypti, & Syriæ; ſingulis addendo viciniores Provincias. Vide Apocal. c. XVII.

2

His exercitibus in immenſum auctis [a], & agrorum cultibus deſtitutis [b], quod eſt principium everſionis, & cladis, diſperdent omnia, & comminuent, & vorabunt.

---

a *In immenſum auctis*. Al. perperam *in immenſum coactis*.

b *Et agrorum cultibus deſtitutis*: Scilicet cultu ipſo derelicto.

3

Tum repente adverſus eos hoſtis potentiſſimus [a] ab extremis finibus plagæ ſepten-

---

a *Hoſtis potentiſſimus*: De quo Daniel ubi ſupra v. 25. *Et alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus; & tres Reges humiliabit*. Ubi S Irenæus L. v. *adverſ. Hæreſ.* cap. xxv. *Daniel autem noviſſimi regni finem reſpiciens, id eſt, noviſſimos decem Reges, in quos dividetur regnum illorum, ſuper quos filius perditionis veniet, cornua dicit decem naſci beſtiæ, & alterum cornu puſillum naſci in medio ipſorum, & tria cornua de prioribus eradicari a facie ejus*. Idem cap. xxvi. & Apocal. cap. xvii. Aliqui putant, Lactantium heic reſpexiſſe vaticinium de Gog, & Magog, alii Antiochum, alii Machometum. Vide Fev-ardentii Commentar. ad Lib. v. Irenæi adverſ. Hæreſes.

Digitized by Google

ptentrionalis orietur, qui tribus ex eo numero deletis, qui tunc Aſiam obtinebunt, aſſumetur in ſocietatem a cæteris, ac princeps omnium conſtituetur.

4

Hic inſuſtentabili dominatione [a] vexabit orbem; divina, & humana miſcebit: infanda dictu, & execrabilia molietur: nova conſilia in pectore ſuo volutabit, ut proprium ſibi conſtituat imperium: leges commutabit, ſuas ſanciet, contaminabit, diripiet, ſpoliabit, occidet. Denique immutato nomine, atque imperii ſede [b] translata, confuſio, ac perturbatio humani generis conſequetur.

---

a *Inſuſtentabili dominatione*: Ab *in*, & *ſuſtento*, quod eſt uſitatiſſimum frequentativum verbi *ſuſtineo ſuſtines* & ab eo *fit ſuſtentabile*, qua voce utitur Lact. in libro de M.P. cap. XXXI. ſeg.4. & *inſuſtentabile*, quam vocem idem adhibet ibidem cap. XLIX. ſeg. 4.

b *Immutato nomine*, *atque Imperii ſede*, Salluſt. Catil. VI. n. 6. *Poſt, ubi regium imperium, quod initio conſervandæ libertatis, atque augendæ Reipublicæ fuerat, in ſuperbiam, dominationemque convertit; immutato more, annua imperia, binoſque Imperatores ſibi fecere.*

5

Tum verò deteſtabile, atque abominan-

nandum tempus [a] exiſtet, quo nulli hominum ſit vita jucunda. Evertentur funditus civitates [b], atque interibunt non modo ferro, atque igni; verum etiam terræ motibus aſſiduis, & eluvie aquarum, & morbis frequentibus, & fame crebra.

---

a *Abominandum tempus*: Schottus. *abominandum imperium*.

b *Evertentur funditus Civitates*. Sic ex noſtro Cod. reſtituo, ubi alii *extruentur* legunt minus conſone ad ea, quæ ſequuntur; & ad ea, quæ prædicta ſunt Matth.XXIV. Marc.XIII., & Luc.XXI.

6

Aer enim vitiabitur [a], & corruptus, ac peſtilens fiet, & modò importunis imbribus, modo inutili ſiccitate, nunc frigoribus, nunc æſtibus nimiis, nec terra homini dabit fructum, non ſeges quicquam, non arbor, non vitis feret; Sed quum in flore ſpem maximam dederint, in fruge decipient.

---

a *Aer enim vitiabitur*. Matth. XXIV. ℣. 7. *Conſurget gens contra gentem, & regnum in regnum; & erunt peſtilentiæ, & fames per loca*.

7

Fontes quoque cum fluminibus areſcent,

 ut

ut ne potus quidem ſuppetat: & aquæ in ſanguinem, aut in amaritudinem [a] mutabuntur.

a *Aut in amaritudinem*. Al. *amaritudines*. Al. præpoſitione carent.

8

Propter hæc deficient & in terra quadrupedes, & in aere volucres, & in mari piſces. Prodigia quoque in cælo mirabilia mentes hominum maximo terrore confundent, & crines cometarum [a], & ſolis tenebræ, & color lunæ, & cadentium ſyderum lapſus.

a *Et crines cometarum*. In carmin. Sibyll. edit. Gallæanæ Lib. III. pag. 397. a ÿ. primo hæc omnia graphice deſcribuntur, & phyſica ratione cohærent; nam ex nimio calore aeris intemperies, ignita phoenomena, terræ ſterilitas, animalium morbi, ſanguinis, humorumque vehementes alterationes, oriri videntur, id temporum omnium experientia confirmante; præſertim vero hoc contigiſſe novimus proximioribus ſæculis & annis. Quicquid Petrus Bælius dixerit in libellis ſuarum cogitationum Gallico idiomate conſcriptis occaſione accepta ab apparitione Cometæ Decem. 1680.

9

Nec tamen hæc uſitato modo fient, ſed exi-

exiſtent ſubito & ignota, & inviſa oculis aſtra [a]: ſol in perpetuum fuſcabitur, ut vix inter noctem, diemque diſcernatur. Luna jam non tribus deficiet horis, ſed perpetuo ſanguine offuſa [b], meatus extraordinarios peraget, ut non ſit homini promptum, aut ſiderum curſus, aut rationem temporum agnoſcere, fiet enim vel æſtas in hyeme, vel hyems in æſtate [c].

a *Ignota, & inviſa oculis aſtra*. Vox *inviſa* in ſenſu, in quo heic uſurpatur, ad latinitatem neglectam pertinere dicitur a Bunem. Ea enim uſus eſt Cicero, Virgil., Florus, Al. De Aſtris vero nondum viſis, & aliquando videndis Aſtronomi quidam plura commenti ſunt, de quibus ſuo loco aliqua dicemus Diſſ. XXIII. cap. III. §. XI.

b *Perpetuo ſanguine offuſa*: De iis omnibus vide expoſitores ſacros ad Evangel. SS. Matth. XXIV. Marc. XIII. Luc. XXI.

c *Vel æſtas in hyeme*. Bon. *vera æſtas*. In Carminibus Sibyll. Lib. VIII. pag. 722. ℣. penultimo: *Aeſtatem ex bruma faciens*.

10

Tunc annus breviabitur, & menſis minuetur, & dies in anguſtum coarctabitur. Stellæ vero creberrimæ cadent [a], ut cælum om-

a *Stellæ vero creberrimæ cadent* &c. Scilicet occident, numquam ad ortum rediturae ob motus ceſſationem.

omne cœcum ſine ullis luminibus appareat.

11

Montes quoque altiſſimi decident, & planis æquabuntur, mare innavigabile conſtituetur. Ac ne quid malis hominum, terræque deſit, audietur e cælo tuba: quod hoc modo Sibylla denuntiat, dicens [a]:

Σάλπιγξ ὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει.

Itaque trepidabunt omnes, & ad luctuoſum illum ſonitum contremiſcent.

---

a *Sibylla denunciat, dicens*: Ultimam vocem plurimi omittunt. In editione Gallæana *Sybill. Orac.* pag. 729. V. 1. ſic latine redditum eſt hocce carmen Lib. VIII. & eſt V. 23. acroſtichidis:

Sidereiſque ſono triſti tuba clanget ab oris.

Eundem verſum S. Auguſtinus Lib. XVIII. *de Civ. Dei* cap. XXIII. interprete Flacciano ſic expoſitum recitat:

Sed tuba tunc ſonitum triſtem demittet ab alto.

Si autem conferas, quæ heic, & in ſuperioribus habet Noſter cum iis, quæ in acroſtichide de judicio extremo dicuntur, inde deſumpta ab eo fuiſſe apparebit.

12

Tum vero per iram Dei adverſum homines, qui juſtitiam Dei non agnoverunt [a], ſæ-

---

a *Qui juſtitiam Dei non agnoverunt*. Al. poſt *juſtitiam* delent *Dei*, quam vocem etiam Aldus delevit, & Schottus, qui legit: *agnoverint*.

ſæviet ferrum, ignis, fames, morbus, & ſuper omnia metus ſemper impendens [b]: tunc orabunt Deum, & non exaudiet: optabitur mors, & non veniet: ne nox quidem [c] requiem timori dabit: nec ad oculos ſomnus accedet, ſed animas hominum ſollicitudo, ac vigilia macerabit: plorabunt, & gement, & dentibus ſtrident: gratulabuntur mortuis, & vivos plagent.

---

b *Semper impendens*. Sic etiam Schottus, & Aldus. Al. *impendet*.

c *Ne nox quidem*: Hanc lectionem retinent Aldus, & Schottus. Al. *nec nox* &c.

13

His & aliis pluribus malis ſolitudo fiet in terra: & erit deformatus orbis, atque deſertus quod in carminibus Sibyllinis ita dicitur [a]:

> *Ἔϛαι κόσμος ἄκοσμος ἀπολλυμένων ἀνθρώπων.*

---

a *In Carminibus Sibyllinis ita dicitur*: Scilicet L. VII. pag.671. ubi ſic latine redditus eſt verſus iſte: *Mundus erit jam non mundus, populique peribunt*:

14

Ita enim conficietur humanum genus, ut

ut vix decima pars hominum relinquatur, & unde mille proceſſerant, vix prodient centum [a]. De cultoribus etiam Dei duæ partes interibunt; & tertia, quæ fuerit probata, remanebit.

a *Vix prodient centum*: Schottus: *prodeant*.

C A P. X V I I.

1

SEd planius, quomodo id eveniat, exponam. Imminente jam temporum concluſione [a], Propheta magnus [b] mittetur a Deo

a *Imminente jam temporum concluſione*: Scilicet paucis ante extrimi diei annis.

b *Propheta magnus* &c. Iſæus notat heic: *Lactantius de uno tantum propheta mentionem habet, quum tamen cap.* XI. *Apocal., unde deſumpſit, duos mittendos eſſe dicatur, quas Johannes prophetas quidem vocat, ſed eorum nomina ſilentio præterit* &c. Omiſſionem hanc in Noſtro non laudo; excuſandam tamen eſſe judico; nam non ex laudato Apocal. capite iſta ab eo mutuata ſunt, ſed ex Malach. IV. V. 5., ubi legitur: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis: & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum* &c. De illis autem duobus meminit Noſter cap. II. de M. P. ſeg. 8. ad quod lectores noſtros ablegamus.

Deo, qui convertat homines ad Dei agnitionem; & accipiat poteſtatem mirabilia faciendi. Ubicumque non audierint eum homines [c], claudet cælum [d], & abſtinebit imbres [e], & aquam convertet in ſanguinem, & cruciabit illos ſiti, ac fame: & quicunque conabitur eum lædere, procedet ignis de ore ejus, atque comburet illum.

---

c *Ubicumque homines non audierint eum, claudet Cælum* &c. Al. ſecundam vocem poſtponunt. Ob ea quæ heic recenſentur, & ex laudato Apocal. capite deprompta ſunt, dixi ſuperius, me in Lactantio omiſſionem illam ab Iſæo notatam, non laudare.

d *Claudet cælum*. Aldus: *cludet*, quod antiquis uſurpatum ſæpe notavimus.

e *Abſtinebit imbres*: Sic Livius: *Romano bello fortuna Alexandrum Magnum abſtinuit*. De illis duobus prophetis, de quibus paullo ſupra diximus, habetur Apocal. XI. V. 6. *Hi habent poteſtatem claudendi Cælum, ne pluat*.

2

His prodigiis, atque virtutibus convertet multos ad Dei cultum, peractiſque operibus ipſius, alter Rex orietur ex Syria [a] ma-

---

a *Peractiſque operibus ipſius alter rex orietur ex Syria*: Animadvertit heic Iſæus, quod: *non ante or-*

mato ſpiritu genitus [b], everſor, ac perditor generis humani, qui reliquias illius prioris mali [c] cum ipſo ſimul deleat.

Hic

ortum Antichriſti, ut ait Lactantius, ſed ipſius perſecutionis tempore prophetæ prædicabunt diebus mille ducentis, & ſexaginta &c. Sed Tò *Orietur* non heic idem valet, ac *Naſcetur*; ſed ſignificat: *apparebit*: *notus fiet* &c. Iccirco habetur in Epitom. cap. LXXI. Al. VIII. ſeg. 7. *Exurget rex impius* &c. Cellarius autem delirans ſuorum more: *Somnium*, inquit, *quo typus Antichriſti, reges Syriæ, vexatores Judæorum*, Daniel. XI. *cum Antichriſto, Chriſtianam Eccleſiam vaſtante, confunditur*. Heic tam clara, & peculiaris eſt Antichriſti mentio, ut ad typum recurrere, ſit, amentium ritu, extra chorum ſaltare.

b *E Syria, malo ſpiritu genitus*. Al. *ex Syria*. L. II. cap. XV. Al. XIV. ſeg. 2. Vidimus Lactantium in ea fuiſſe opinione, qua quidam putarunt, ex commixtione Angelorum cum mulieribus, gigantes eſſe prognatos: Ut etiam refert S. Auguſt. *L. I. Quæſt. Sup. Gen. cap. III. & L. XV. de Civ. Dei cap. XXIII.* Author *Tractatus de Antichriſto*, perperam Auguſtino tributi, Cacodæmonem in genitricis ejus uterum operaturum cenſet: *Diabolus* inquiens, *ſimul in matris ejus uterum introibit, & ipſam replebit, circumdabit, obumbrabit interius, exteriuſque poſſidebit*. S. Hyppol. Martyr ipſum diabolum, phantaſtico corpore indutum, Antichriſtum fore, aſſeveravit. Vide S. Irenæum L. V. *adv. Hær.* S. Hieron. in c. VII. Daniel. Damaſc. L. IV. *de Fide Orthod.* cap. XXVIII. Theophilat. & Oecum. in II. ad Theſſal. Ac Diſſ. noſtram XXVI. cap. II. ſ. VII.

c *Illius prioris mali*. Nempe Regis, ſeu potius Tyranni, de quo cap. antecedenti ſeg. 2. dixerat; ut ipſe Lact. exponit cap. LXXI., olim XII. Epitom.

3

Hic pugnabit adverſus Prophetam Dei, & vincet, & interficiet eum, & inſepultum jacere patietur. Sed poſt diem tertium reviviſcet, atque inſpectantibus, & mirantibus cunctis rapietur in cælum [a].

a *Et vincet, & interficiet eum, & inſepultum jacere patietur; ſed poſt diem tertium reviviſcet, atque inſpectantibus, & mirantibus cunctis rapietur in Cęlum* Hæc etiam in XI. Apocalipſis S. Johan. non de uno Elia, ſed de duobus dicuntur Prophetis a V.7. ad 13.

4

Rex vero ille teterrimus erit quidem & ipſe, ſed mendaciorum propheta [a], & ſeipſum conſtituet, ac vocabit [b] Deum, & ſe coli

a *Mendaciorum Propheta* &c. Apoſtol.II. ad Theſſalon. cap. II. V. 3. *Nequis vos ſeducat ullo modo: Quoniam niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius parditionis, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus* &c.

b *Ac vocari*. Al. *vocabit*.

çoli [c] jubebit, ut Dei filium: & dabitur ei poteſtas, ut faciat ſigna, & prodigia [d], quibus viſis irretiat homines, ut adorent eum.

c *Se coli*. Bon. *ſæculi*.
d *Ut faciat ſigna, & prodigia*. In Apocalyp. S. Johan. cap. XIII. V. 13. *Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de Cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum; & ſeduxit habitantes in terra* &c.

5

Jubebit ignem deſcendere de cælo, & ſolem a ſuis curſibus ſtare & imaginem loqui [a]: & fient hæc ſub verbo ejus [b], quibus miraculis etiam ſapientium plurimi allicientur ab eo.

a *Et imaginem loqui*: Apocalypſ. ibidem V. XV. *Et datum eſt illi, ut daret ſpiritum Imagini Beſtiæ, & ut loquatur imago Beſtiæ*.
b *Sub verbo ejus*. Heum. *ſolo verbo ejus*. Male: nam, *ſub verbo*, idem valet, ac *eo loquente*. Bunem.

6

Tunc eruere templum Dei conabitur [a], & juſtum populum perſequetur: & erit preſſura, & contritio, qualis nunquam fuit a principio mundi.

Qui-

a *Eruere Templum Dei conabitur*. Id eſt, Eccleſiam Chriſti deſtruere geſtiet. Virgilius eodem ſenſu L. II. æn. a V. 3. pro *diruere*:

Infandum Regina jubes renovare dolorem,
Trojanas ut opes, & lamentabile regnum
Eruerint Danai . . . .

7

Quicunque crediderint, atque acceſſerint ei, ſignabuntur ab eo tanquam pecudes [a]; qui autem recuſaverint notam ejus [b], aut in montes fugient, aut comprehenſi, exquiſitis cruciatibus necabuntur.

Idem

a *Signabuntur ab eo, tamquam pecudes*. Columel. de R. R. L. XI. cap. 2. ſegm. 4. *His etiam diebus maturi agni, & reliqui fœtus pecudum, nec minus majora quatrupedia charactere ſignari debent*. Et Pallad. Januar. XVI. *Hoc menſe, ſicut Columella dicit, maturi agni, & animalia omnia minora, atque majora charactere ſignentur*.

b *Qui autem recuſaverint notam ejus*: Apocalyp. XIII. V. 16. *Et faciet omnes puſillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & ſervos, habere characterem in dextera manu ſua, aut in frontibus ſuis*. Quemadmodum apud Ethnicos factum eſſe ab Hiſtoricis accepimus, & nunc etiam apud Indos, ac Sinenſes, aliosque paganos populos fieri ſcimus, qui in manuum palmis, digitorum articulis, ſeu in unguibus, aut etiam in fronte, nomen emblematicum

per

per figuram, ſeu per characterem geſtant illius Numinis, cui ſe devotos oſtendere cupiunt. In eo libro, quem Macchabeorum tertium quidam Eccleſiæ Patres dixerunt, quemque Latini, & Græci inter apochryphas ſcripturas rejiciunt, cap. II. ſect. XXI. Ptolemæi Philopatoris, Ægypti Regis, decretum affertur, quo jubebatur: *Judæos in vulgi deſcriptionem, & ſervilem conditionem abduci: qui autem contradicerent vi ablatos, vita privari: hos autem deſcriptos ſignari, etiam per ignem, inſigne Liberi, ederæ folio*. Ratio hujus obſignationis inde originem habebat, quod Ptolemæi Reges, ſe Bacco genitos gloriabantur, & Philopator ita eidem ſe devoverat, ut ſibi quoque ederæ folium inuri voluerit: quo ſtigmate etiam Galli, Magnæ Deæ Sacerdotes, obſignabantur. Vide Grotium ad cap. XIII. Apocal. Lucian. *in Dea Syria*. Prudent. Hymno X. Vegetium L. I. cap. VIII., & L. II. cap. V. Similes notas etiam nunc ſæpe vidimus in bracchiis præſertim nautarum, qui Sanctorum imagines ſibi inuri patiuntur, ut ſi naufragio perire contigerit, pro Chriſtianis, & catholicis habeantur.

8

Idem juſtos homines obvolvet libris Prophetarum[a] atque ita cremabit, & dabitur

a *Obvolvet libris Prophetarum*. Hinc facile colligitur, quomodo in perſecutione Diocletiani, quam Lactantius vidit, Sancti Martyres una cum ſacris Codicibus comburebantur.

tur ei deſolare orbem [b] terræ menſibus quadraginta duobus [c].

---

b *Deſolare orbem*. Al. *deſolari*.
c *Menſibus quadraginta duobus*. Scilicet tribus annis cum dimidio, ut explicant Interpretes illud Apocalipſ. XI. V. 5. *Et prophetabunt diebus mille ducenti ſexaginta* & cap. XIII. V. 5. *& data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos*.

9

Id erit tempus, quo juſtitia projicietur, & innocentia odio erit, quo mali bonos hoſtiliter prædabuntur: non lex, aut ordo, aut militiæ diſciplina [a] ſervabitur: non canos quiſquam reverebitur: non officium pietatis agnoſcet: non ſexus, aut infantiæ miſerebitur: confundentur omnia, & miſcebuntur contra fas, contra jura naturæ. Ita quaſi uno communique latrocinio [b], terra univerſa vaſtabitur.

---

a *Militiæ diſciplina*. Al. *malitiæ*.
b *Quaſi uno, communique latrocinio*. Sic etiam Aldus. Schottus. *Quaſi uno latrocinio*. Al. *quaſi uno communi, gravique latrocinio*.

10

Quum hæc facta erunt: tunc juſti, &
 ſecta-

tores veritatis ſegregabunt ſe a malis, & fugient in ſolitudines. Quo audito, impius rex [a] inflammatus ira veniet cum exercitu magno, & admotis omnibus copiis circundabit montem, in quo juſti morabuntur, ut eos comprehendat.

a *Impius rex*. Bon. ſecunda voce caret.

11

Illi vero ubi ſe clauſos undique, atque obſeſſos viderint, exclamabunt ad Deum voce magna, & auxilium cæleſte implorabunt, & exaudiet eos Deus, & mittet regem magnum [a] de cælo, qui eos eripiat, ac liberet, omneſque impios ferro ignique diſperdat.

a *Et mittet Regem magnum* Al. *&* *emittet*. Al. ablata copula *emittet*. Aldus, & Schottus legunt nobiſcum.

C A P. X V I I I.

1

HÆc ita futura eſſe, cum prophetæ omnes ex Dei ſpiritu, tum etiam vates ex inſtinctu dœmonium cecinerunt [a]. Hy-

a *Vates ex inſtinctu Dæmonumm cecinerunt*. Quamvis

Hyſtaſpes enim, quem ſuperius [b] nominavi, deſcripta iniquitate ſæculi hujus extremi: *pios, ac fideles a nocentibus ſegregatos*, ait, *cum fletu, & gemitu, extenſuros eſſe ad cælum manus, & imploraturos fidem Jovis* [c]. *Jovem reſpecturum ad terram, & auditurum voces hominum, atque impios extincturum.*

vis Dæmones futurorum notitiam non habent; a Deo tamen aliquando coacti ſunt ad eam habendam, & ſuis oraculis propalandam. Vide Diſſ. XXVII. c. II. §. XVIII.

b *Quem ſuperius* cap. XV. ſeg. 19.

c *Fidem Jovis*. Al. *auxilium*.

2

Quæ omnia vera ſunt, præter unum, quod Jovem dixit illa facturum, quæ Deus faciet.

3

Sed & illud non ſine dæmonum fraude ſubtractum eſt, miſſum iri a patre tunc filium Dei, qui deletis omnibus malis pios liberet, quod Hermes tamen non diſſimulavit; in eo enim libro, qui, λόγος [a] τέλειος, inſcribitur,

a *In eo libro, qui* λόγος &c. Id eſt, *ſermo perfectus*; quem etiam Lib. IV. cap. VI. ſeg. 4. laudavit. Bon. *in eo libro, qui Telios* &c.

tur , poſt enumerationem malorum , de quibus diximus .Subjecit hæc *a* :

a *Subjecit hæc* . In noſtro Cod. ſic latine : *Quum hæc igitur fuerint facta , o Aſclepi , tunc Dominus , ac Pater , & Deus , & primi , & unius Dei Creator, inſpectis iis , quæ fient , & ſua voluntate , id eſt , bono oppoſito temeritati , & revocato errore , & malitia expurgata , & tam aqua nimia diluta , quam igni rapido exuſta , plerumque autem bellis , & peſtibus percuſſa , adduxit ad priſtinum , & reſtituet ſuum mundum* . Quæ tamen in verſione Apulejana diverſimode verſa ſunt cap. IX. *Aſclep.*Unde bene notat Betuleius : *ex collatione apparet , nec Græcam , nec Apulejanam lectionem ſalvam eſſe* .

4

Ἐπ᾽ ἂν δὴ ταῦτα ὡδεγένηται ὦ ἀσκληπιὲ , τότε ὁ κύριος καὶ πατὴρ καὶ θεὸς καὶ τοῦ πρώτου καὶ ἑνὸς θεοῦ δημιουργὸς ἐπιβλέψας τοῖς γενομένοις , καὶ τῇ ἑαυτοῦ βουλήσει τουτέςιν , τὸ ἀγαθὸν ἀντερείσας τῇ ἀταξίᾳ καὶ ἀνακαλεσάμενος τὴν πλάνην , καὶ τὴν κακίαν ἐκκαθήρας : πῆ μὲν ὕδατι πολλῷ καταλύσας , πῆ δὲ πυρὶ ὀξυτάτῳ διακαύσας , ἐνίοτε δὲ ὀλέμοις , καὶ λοιμοῖς ἐκπιέσας , ἤγαγεν ἐπὶ τὸ ἀρχαῖον , καὶ ἀποκατέςησε τὸν ἑαυτοῦ κόσμον .

5

Sibyllæ quoque non aliter fore oſtendunt,

dunt, quam ut Dei filius a ſummo patre [a] mittatur, qui & juſtos liberet de manibus impiorum, & injuſtos cum tyrannis ſævientibus deleat, e quibus una ſic tradidit:

a *A ſummo Patre*: Ubi in verſione ſuperiori legitur: *Et primi, & unius Dei Creator*. Apulejus habet: *Deus primipotens, & unus*: quæ eſt ſana interpretatio.

6

Ἥξει [a] καὶ μακάρων ἐθέλων πόλιν ἐξαλαπάξαι,
Καί κέν τις Θεόθεν βασιλεὺς πεμφθεὶς ἐπ' ἰδίων,
Πάντας ὀλεῖ βασιλεῖς μεγάλους, καὶ φῶτας ἀρίστους:
Εἶθ' οὕτως κρίσις ἔσται ἐπ' ἀφθίτου ἀνθρώποισι

a *Sic tradidit*. Ibidem ſic latine ad oram noſtri Codicis:

Veniet; & Beatorum expurgare Vrbem volens,
Et tunc Rex quidam a Deo miſſus ad iſtam,
Perdet Reges magnos, & viros potentes,
Et poſtea judicium erit ab incorruptibili hominibus.

Carmina iſta Græce extant in edit. Gallæana Lib. V. pag. 561.

7

Item alia [a] Sibylla.

Καὶ τότ' ἀπ' ἠελίου πέμψει θεὸς βασιλῆα,

Ὃς

Ὃς πᾶσαν γαῖαν παύσει πολέμοιο κακοῖο.

a *Item alia* &c. Καὶ &c. Et tunc a ſolis ortu Deus mittet Regem, qui omnem terram compeſcet a bello malo; Hæc ibidem latine. In Ed. Gall. L.III.p.460.

8

Et rurſus alia [a],

. . . . Ἡμετέρας δουλείας
Ζυγὸν δυσβάστακτον ἐπ' αὐχένι κείμενον ἀρεῖ,
Καὶ θεσμοὺς ἀθέους λύσει, δεσμούς τε βιαίους.

a *Et rurſus alia*: Horum expoſitio deeſt in noſtro Codice, quam ex alio damus.

. . . . , *Noſtræ ſervitutis.*
Jugum intollerabile in collo poſitum.
Et leges impias ſolvet, vinculaque violenta.

In editione Galleana L. VIII. pag. 745. diverſimode hæc carmina leguntur.

CAP. XIX.

1

Oppreſſo igitur orbe terræ, quum ad deſtruendam immenſarum virium [a] tyrannidem humanæ opes defecerint: ſiquidem ca-

a *Immenſarum virium*. Schottus: *immenſam* &c.

capto mundo cum magnis latronum exercitibus incubabit [b] : divino auxilio tanta illa calamitas indigebit.

b *Incubabit*. Al. *inculcabit*.

2

Commotus igitur Deus & periculo ancipiti, & miſeranda comploratione juſtorum, mittet [a] protinus liberatorem. Tunc aperietur cælum medium intempeſta, & tenebroſa nocte [b], ut in orbe toto lumen deſcendentis Dei tanquam fulgur appareat [c] quod Sibylla his verſibus locuta eſt [d].

.... Ὁππότ' ἂν ἔλθῃ,
Πῦρ ἔςαι σκότος ἐν τῇ μέσσῃ νυκτὶ μελαίνῃ.

 Et

a *mittet*. Al. *remittet*.
b *Intempeſta, & tenebroſa nocte*. Al. *intempeſtate* &c.
c *Tamquam fulgur appareat*: Lucæ XVII. ℣. 24. *Sicut fulgur coruſcans de ſub Cælo; in ea quæ ſub Cælo ſunt, fulget: ita erit Filius hominis in die ſua*.
d *His verſibus locuta eſt*: Schottus *elocuta*: *Græce non extant*.

.... *Quum venerit*
Ignis erit tenebroſa in nocte media.

Sic in Cod. Bon. In editione Gall. quid ſimile habetur L. IV. pag. 537. Oracul. Sibyll.

§ 3 §

Et hæc eſt nox [a], quæ a nobis propter adventum regis, ac Dei noſtri pervigilio celebratur [b] ,cujus noctis duplex ratio eſt, quod in ea & vitam tum recepit, quum paſſus eſt, & poſtea orbis terræ regnum recepturus eſt. Hic

a *Hæc eſt nox*: Hæc verba ſunt a Schotto deleta. Al. *Et eſt nox*.

a *Pervigilio celebratur*. Vetuſtiſſimum vigiliarum uſum ſemper in Eccleſia viguiſſe; Patrum teſtimonia luculentiſſime demonſtrant. Sæculo IV. ineunte propter quoſdam pravos uſus inde ſubortos Concilium Eliberitanum XIX. Epiſcoporum interventu celebratum cap. XXXV. fæminis interdixit; *ne in cæmeterio pervigilent, eo quod ſæpe ſub obtentu orationis, ſcelera latenter committantur*: Sed canon iſte nec ubique intra Hiſpaniæ limites fuit receptus, ut apparet ex can. VIII. Concil. Toletani IV. an. Chriſti 633. celebrato; ibidem enim legitur: *Lucerna, & Cereus intra vigilias apud quaſdam Eccleſias non benedicitur, & a nobis cur benedicatur inquirunt. Propter glorioſum noctis ipſius Sacramentum ſolenniter benedicimus, ut ſacræ reſurrectionis Chriſti myſterium, quod tempore hujus noctis votive advenit, benedictione ſanctificati luminis ſuſcipiamus. Et quia hæc obſervatio per multarum loca terrarum, regioneſque Hiſpaniæ, in Eccleſias commendatur, dignum eſt propter unitatem pacis, ut in Gallitianis Eccleſiis conſervetur* &c. Quidam aſſerunt, Bonifacium Primum, Rom. Pontificem, vigilias in jejunia commutaſſe quemadmodum etiam nunc fieri mos eſt. Vide diſſ. XXXV. c. IV. §. XII.

4

Hic eſt enim liberator, & judex, & ultor, & rex, & Deus, quem nos Chriſtum vocamus, qui prius, quam deſcendat, hoc ſignum dabit.

5

Cadet repente gladius e cælo [a], ut ſciant

---

a *Cadet repente gladius e Cælo* &c. Cellarius annotat: *Fabula, & ficta traditio*. Betulejus, & Iſæus, carere hoc dictum teſtimonio ſcripturarum profitentur. Gallæus heic: *ſunt hæc*, ait, ἄγραφα. Quomodo ergo iſte idem Gallæus in editione *Oracul. Sibillyn.* ſuo nomine vulgata Lib. III. pag. 481. num. 188. adverſus illos: Σῆμα &c. I. e.

Signa tibi vero dicam clariſſima, per quæ
Omnia quum terris perficienda videbis.
Quum viſi fuerint cæli ſtellantis in oris
Nocturni Gladii caſus ad ſolis, & ortus &c.

Notam appoſuiſſe credi poterit? Σῆμα δὲ &c. *Omnia hæc ſunt ex ſacris literis deſumpta*. Si Salmaſius viveret, arcanum plagium revelaret. Non itaque marte ſuo hoc Lactantius commentus eſt, ſed ex Sibyllinis Oraculis, & ex iis, quæ leguntur Matth. XXIV. ℣. 29. Marc. XIII. 15., & Apocal. cap. I. ℣. 16. Ubi ſi Patres, & Interpretes audiamus, phœnomena ignita, ex fulminum natura intelligi debent, aut meteora ſimilia. Enſes quippe, haſtas, ſcuta, ac faces ignitas è Cælo aliquando cecidiſſe, Meteorologi, ac hiſto-

ſciant juſti ducem ſanctæ militiæ [b] deſcenſurum : & deſcendet comitantibus Angelis in medium terræ, & præcedet eum flamma inextinguibilis [c], & virtus Angelorum tradet in manus juſtorum multitudinem illam, quæ montem circunſederit, & concidetur ab hora tertia uſque ad veſperum, & fluet ſanguis more torrentis, deletiſque omnibus copiis, impius ſolus effugiet, & peribit ab eo virtus ſua [d].

ſtorici narrant ; quorum quamplurima exempla Julii Obſequentis Prodigiorum libellus continet, exhibetque.

b *Ducem S. Militiæ*. Intellige S. Michaelem Arcangelum. Apocal. XII. ℣. 7.

c *Et præcedet eum flamma ineſtinguibilis*. Matth. XXV. ℣. 31. *Quum venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo*. Pſal. XCVI. ℣. 5. *Ignis ante ipſum præcedet & inflammabit in circuitu inimicos ejus*. Et Iſaiæ LXVI. *Quia ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo, quadrigæ ejus, reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis, quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio ſuo ad omnem carnem* &c. Schottus Tò *præcedet* non habet.

d *Et peribit ab eo virtus ſua*. Heum. hæc habet pro gloſſemate.

6

Hic eſt autem, qui appellatur Antichri-

chriſtus [a], ſed ſe ipſe Chriſtum mentietur, & contra verum dimicabit, & victus effugiet, & bellum ſæpe renovabit, & ſæpe vincetur, donec quarto prælio, confectis omnibus impiis, debellatus, & captus, tandem ſcelerum ſuorum luat pœnas.

a *Qui appellatur Antichriſtus*. Per anotomaſiam.

7

Sed & cæteri qrincipes, ac tyranni [a], qui contriverunt orbem, ſimul cum eo vincti addacentur ad regem, & increpabit eos, & coarguet, & exprobrabit his facinora ipſorum, & damnabit eos, ac meritis cruciatibus tradet.

a *Sed & cæteri Princeps, ac Tyranni*. Iſaiæ XIV. ℣. 2. *Et erunt capientes eos, qui ſe ceperant, & ſubjicient exactores ſuos* &c.

8

Sic extincta malitia, & impietate compreſſa, requieſcet orbis [a], qui per tot ſæcula ſubjectus errori, ac ſceleri, nefandam pertulit ſervitutem.

Non

a *Requieſcet orbis*. Al. addunt: *terrarum*.

9

Non colentur ulterius dii manu facti; ſed a templis, & pulvinaribus ſuis deturbata ſimulacra [a] igni dabuntur, & cum donis ſuis [b] mirabilibus ardebunt: quod etiam Sibylla cum prophetis congruens, futurum eſſe prædixit [c]:

Τρέ-

---

a *Sed a templis, & pulvinaribus ſuis deturbata ſimulacra.* Pulvinaria erant lecti, qui ab Ethnicis ſternebantur in Templis, quum Diis convivium apponebatur; quod ceremoniæ genus Lactiſternium dicebatur, aut Epulum: Cicer. Catelin. III. num. 23. *Quoniam ad omnia pulvinaria ſupplicatio decreta eſt.* Unde Horatius L. I. Ode XXXVII.

Nunc eſt bibendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus: nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum.
Tempus erat dupibus ſodales.

Sumuntur aliquando etiam pro Templis Deorum; ut teſtatur Servius ad Virgil. L. III. ℣. 533.

b *Et cum donis ſuis.* Servius ibidem: *Donaria proprie loca ſunt, in quibus dona reponuntur Deorum. Abuſive Templa; nam ita & Pulvinaria pro Templis ponimus.* Quæ autem fuerint hujuſmodi dona, vide L. II. c. 4. L. VI. cap. XXV.

c *Futurum eſſe prædixit.* Ad oram noſtri Codicis ſic latine legitur:

Conterent Idola homines, & opes univerſas.

In edition. Gall. Lib. VIII. in Acroſt. pag. 726. variat hic verſus.

Τρίψωσι δ' εἴδωλα βροτοὶ, καὶ πλοῦτον ἅπαντα.

Erythræa quoque idem ſpopondit [d].

Ἔργα δὲ χειροποίητα Θεῶν κατακαυθήσονται.

d *Idem ſpopondit*. Sic ibidem:
Opera vero manufacta Deorum comburentur.
In eadem Gall. edit. L. III. pag. 452.

C A P. XX.

1

POſt hæc aperientur inferi [a], & reſurgent mortui, de quibus judicium magnum idem ipſe rex, ac Deus faciet, cui ſummus pater judicandi & regnandi dabit maximam po-

a *Aperientur inferi*. Id eſt inferiora terræ loca, quæ hominum cadavera & animas receperunt. Hæc, & quę ſequuntur intelligenda ſunt quemadmodum explicatur id quod habetur c. XXXVII. Ezech., & c. XX. Apocalypſ. Inde enim deprompta ſunt, ſecundum Papiam, S. Johannis Evangeliſtæ diſcipulum, ac S. Polycarpi Martyris ſocium, qui opinionem de millenario Chriſti in terris Regno ex Apoſtolis, eorumque diſcipulis ſe audiviſſe affirmabat: teſte Euſeb. L. III. hiſt. Eccl. cap. XXXIX. Uberrime hanc opinionem diſcuſſimus Diſſ. XXXII. cap. III. §. IV., quam tibi conſulendam proponimus.

poteſtatem de quo judicio, & regno apud Erythræam Sibyllam ſic invenitur:

§ 2 §

Ὁππότε [a] καὶ τὸ λάβῃ τέλος αἴσιμον ἥ δὲ βροτοῖσι
Ἤδη ἀφίξηται κρίσις ἀθανάτοιο θεοῖο,
Ἥξει ἐπ' ἀνθρώπους μεγάλη κρίσις, ἠδὲ καὶ ἀρχή.

a Latine in noſtro Codice. Apud Gall. pag. 473. Lib. III. Car. Sibyll.

Quum autem dies iſte finem fatalem acceperit, & ad mortales
Judicium immortalis Dei venerit,
Veniet ſuper homines magnum Judicium, & imperium.

§ 3 §

Deinde apud aliam [a].

Ταρτάρεον δὲ χάος δείξει τότε γαῖα χανοῦσα,
Ἥξουσιν δ' ἐπὶ βῆμα θεοῦ βασιλῆος ἅπαντες.

Et

a *Deinde apud aliam.* Ibidem, & pag. 729. Gallæanæ editionis Carm. Sibyll. L. VIII.

Tartareum autem chaos oſtendet terra debiſcens
Venient autem ad tribunal Dei Reges univerſi.

4

Et alio loco apud eandem[a] :
Ὀυρανὸν εἰλίξας γαίης κευθμῶνας ἀνοίξω,
Καὶ τότ᾽ ἀναστήσω νεκρὺς μοῖραν ἀναλύσας,
Καὶ θανάτυ κέντρον, καὶ ὕστερον, εἰς κρίσιν ἄξω,
Κρίνων ἐυσεβέων καὶ δυσσεβέων βίον ἀνδρῶν.

a *Et alio loco apud eandem*. Ibidem, & in Gallæana edit. Lib. VIII. pag. 755.
Cœlum volvens terræ intima aperiam;
Et tunc exuſcitabo mortuos fatum ſolvens
Et ſtimulum mortis, & poſtea ad judicium ducam
Judicans piorum, atque impiorum vitam virorum.

5

Nec tamen univerſi tunc a Deo judicabuntur[a], ſed ii tantum, qui ſunt in Dei religione verſati. Nam qui Deum non agnoverunt, quoniam ſententia de his in abſolutione ferri non poteſt[b], jam judicati, damna-

a *Nec tamen univecſi tunc a Deo judicabuntur.* In Apocalypſ. cap. xx. ℣. 5. *Cæteri mortuorum non vixerunt donec conſummentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima.* Vide Interpretes ibidem, & præcipue S. Ambroſium.

b *Quoniam ſententia de his in abſolutionem ferri non poteſt.* Singularem heic noſtri Codicis lectionem ha-

mnatique ſunt[c], ſanctis literis conteſtantibus, non reſurrecturos impios in judicium[d].

---

habemus in hanc formam: *Quoniam ſententia Dei ſine abſolutione ferri non poteſt*. Quæ & errorem maximum continet, & a Lactantii ſententia longe nimis abludit.

c *Jam judicati, damnatique ſunt*. Johan. III. ℣. 18. *qui non credit, jam judicatus eſt*.

d *Non reſurrecturos impios in judicium*. Pſal. I. ℣. 6. *Ideo non reſurgent impii in judicio, neque Peccatores in concilio Juſtorum*. Quia eis non erit reſurrectio ad vitam æternam, beate traducendam; ſed quemadmodum rei in crimine capti, in Judicium venient, æternis ſuppliciis una cum corporibus ſuis deputandi, ut capite XXVI. Author noſter luculenter explanat.

6

Judicabuntur ergo[a], qui Deum ſcierunt, & facinora eorum, id eſt, mala opera: quum

---

a *Judicabuntur ergo* &c. Ex illa Apocalyp. c.XX. ℣. 5. ſuperius laudata ſententia: *Hæc eſt reſurrectio prima*: originem habuit opinio iſta de duplici Anaſtaſi, & judicio, quæ quum pluribus ſit obnoxia difficultatibus, heic minime ſolubilibus, diſcutienda nobis erit Diſſ. ſuperius indicata, ratione habita eorum, quæ cum in Apocalypſis ſequenti verſiculo leguntur, tum quæ idem Lactantius docuit Lib. II. c.XIII. Al. XII. ſeg.8. ubi de duplici morte locutus eſt.

quum bonis collata [b] ponderabuntur, ut ſi plura, & gravia fuerint bona, juſtaque dentur ad vitam beatam [c]: ſi autem mala ſuperaverint, condemnentur ad pœnam [d].

b *Cum bonis collata*. Al. *collocata*.

c *Ut ſi plura, & gravia fuerint bona, juſtaque dentur ad vitam beatam*. Heum., & Bunem. mallent: *& graviora*; ſed nihil mutandum cenſeo; nam *gravia* heic pro *meritoriis* operibus ſumi debent. Al. *bona, juſtificentur ad vitam* &c. quam lectionem reprobavit Aldus.

d *Condemnentur ad pœnam*. Nota quod etiam poſt primam reſurrectionem ſecundum Lactantii opinionem omnino juſti ad gloriam; purificandi vero, aut reprobi ad pœnam ſtatim damnantur, unicuique debitam, & ſuis operibus dignam.

7

Hic fortaſſe dixerit quiſpiam: Si eſt immortalis anima, quomodo patibilis inducitur, ac pœnæ ſentiens? [a] Si enim ob merita punietur; ſentiet utique dolorem, atque ita etiam mortem. Si morti non eſt obnoxia, nec dolori quidem: patibilis igitur non eſt.

a *Patibilis inducitur, & pœnæ ſentiens?* Al. *paſſibiles*. Schottus: *& pœnam ſentiens*. Nota inſuper noſtrum loqui de animabus ſeparatis.

§ 8 §

Huic quæſtioni, ſive argumento a Stoicis ita occurritur: [a] Animas quidem hominum permanere, nec interventu mortis in nihilum reſolvi: ſed eorum, qui juſti fuerunt, puras, & impatibiles, & beatas ad ſedem cæleſtem, unde illis origo ſit, remeare: vel in campos quoſdam fortunatos rapi [b], ubi fruantur miris voluptatibus. Im-

a *A Stoicis ita occurritur*. Schottus: *ſic a Stoicis occurritur*. S. Epiphanius, & Plutarchus Stoicorum ſententiam circa animas ſeparatas talem fuiſſe tradunt, ut exeuntes a corpore ſimul cum concreto interirent, ſi imbecilliores fuerint, quales ſunt animæ ineruditorum: validiores tamen, quales ſunt ſapientum, uſque ad conflagrationem durarent. Cicero L. I. Tuſcul. *Numquid igitur eſt cauſſæ, quin amicos noſtros Stoicos dimittamus, eos dico, qui ajunt, animos manere e corpore, quum exceſſerint; ſed non ſemper?* Vide quæ diximus ad cap. VII. ſeg. 13.

b *In campos quoſdam fortunatos rapi*. Nimirum Elyſios, ubi piorum animas habitare, a corporibus ſolutas, Poetæ dicunt. Virgilius L. v. æn. a v.733. Sic Anchiſem loquentem inducit:

. . . . *Non me impia namque*
Tartara habent, triſtes Umbræ; ſed amæna Piorum
Concilia, Elyſiumque colo.

Quamvis alii his animabus ſedes aſſignent in inſulis fortunatis, alii circa lunarem circulum. Vide Servium ad laudatum virgilii locum.

9

Impios vero [a], quoniam ſe malis cupiditatibus inquinaverunt, mediam quandam gerere inter immortalem, mortalemque naturam, & habere aliquid imbecillitatis ex contagione carnis: cujus deſideriis, ac libidinibus addicta, ineluibilem [b] quendam fucum trahant, labemque terrenam: quæ cum temporis diuturnitate penitus inhæſerit, ejus naturæ reddit animas, ut ſi non extinguibiles [c] in totum, quoniam ex Deo ſunt; tamen cruciabiles [d] fiant per corporis maculam, quæ peccatis inuſta, ſenſum doloris attribuit.

---

a *Impios vero*. Aliqui pro Tò *impios* legunt *impiorum*, ſcilicet ſubintelligendo animas. Al. *impias*, ſcilicet Animas; at equidem nihil mutandum judico, quum omnia, quæ vidi exemplaria ſic legant, nec novum eſt, partem a toto nomen aliquando ſumere, & contra,

b *Ineluibilem*. Quod elui, atque abſtergi non poteſt. Plautus Menæch. A. 1. ſc. 11. ṽ. 57.

Nam ex iſtoc loco ſpurcatur naſus odore inlutibili

c *Extinguibiles*. A verbo notiſſimo *extinguo*.

d *Cruciabiles*. A verbo ſatis uſitato *crucior*.

10

Quam ſententiam poeta ſic explicavit: [a]

 Quin

Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miſeris, nec Funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes, penituſque neceſſe eſt
Multa diu concreta modis inoleſcere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt.

a *Poeta ſic explicavit.* Nempe Virgil. Æn. VI. ℣. 735.

11

Hæc propemodum vera ſunt [a]. Anima

a *Hæc propemodum vera ſunt.* Al. *Et propemodum* &c. Bunem. præter philologi morem, heic Theologum agens ait: *Fabricatores Purgatorii finxerunt: Hæc prorſus vera ſunt. Vide Chemnitium Exam. Concil. Trident. Part.* 3. *cap.* 4. Novit enim Lutheri ſui, aliorumque Sectariorum, tam ex iis, quam ex ſequentibus, mendacia, & errores de igne purgatorio refelli; & iccirco lectorum animos præoccupare geſtit, ut jam ante ipſum Betulejus, aliique ejuſdem pulveris, ſunt tentare conati. Aldus noſtram lectionem tuetur. Schottus delet utramque: quod libenter Bunemanno indicamus, quum ad Purgatorium propugnandum hiſce Lactantii verbis nobis uti nullum ſit opus.

mà enim, quum divortium fecit à corpore; eſt (ut ait idem poeta [b])

Par levibus ventis, volucrique ſimilli-
ma ſomno.

Quia ſpiritus eſt, & ipſa tenuitate incomprehenſibilis: ſed nobis, qui ſumus corporales [c]: Deo autem, cui ſubjacet poſſe omnia, comprehenſibilis.

---

b *Ut ait idem Poeta*. Virgil. VI. ℣. 702. Æn. Obſerva heic duo eſſe conjuncta in animæ noſtræ ſimilitudinem adducta: ventum, ſcilicet, & ſomnum. Ille quidem inviſibilis oculis; ſed tactu ſenſibilis, ut bene de more annotavit S. Auguſtinus L. C. ad cap. XVII. ſeg. 2. (b) ſecundum vero, quod ſenſibus omnino percipi nequeat, nec aliquo conſtet corpore; unde patet, animam noſtram nullimode ſecundum Lactantium fuiſſe corpoream.

c *Qui ſumus corporales*. Bon., & Aldus: *carnales*. Confirmat heic Lactantius, quod nota ſuperiori indicavimus.

CAP. XXI.

I

PRimum igitur dicimus, tantam eſſe Dei poteſtatem, ut etiam incorporalia comprehendat, & quemadmodum voluerit, afficiat. Nam & angeli Deum metuunt, quia caſtigari ab eo poſſunt, inenarrabili quodam

modo : & dæmones reformidant , quia torquentur [a] ab eo , ac puniuntur .

a *Reformidant quia torquentur*. Schottcs. *reformidat Deum , torquetur ab eo* &c.

2

Quid ergo mirũ, ſi quum ſint immortales animæ , tamen patibiles ſint Deo ? Nam quum in ſe nihil habeant ſolidum,& contrectabile [a] , a ſolidis, & corporalibus nullam vim pati poſſunt ; ſed quia in ſolis ſpiritibus vivunt [b] , a ſolo Deo tractabiles ſunt [c] , cui virtus , ac ſubſtantia ſpiritalis eſt .

Sed

a *Contrectabile*. Al. *contractabile*. Al. *tractabile*.

b *In ſolis ſpiritibus vivunt*. Bon. *in ſolis partibus bibunt*. Heic *vivere in ſolis ſpiritibus*, idem valet ac *per ſe*, ut cap. ſuperiori XII. ſeg. 19. de anima loquens: *quum autem diſſociata fuerit a corpore vigebit ipſa per ſe*. Adde annotata a Bunemanno, & a nobis ad L. III. cap. XII. ſeg. 34. (a) ad ea verba : *quum anima , ſocietate corporis liberata , in ſolo ſpiritu vivit*. Quibus iterum , iterumque confirmatur expoſitio noſtra , quam capite antecedenti inſinuavimus.

c *A ſolo Deo tractabiles ſunt*. Ex iis, quæ in hoc ſegmento habentur , inferri poſſe videtur , etiam animas ſeparatas a corpore pœna eſſe laturas, quibus

bus erunt obnoxiæ ; quod quum ad judicium particulare ſit conſequens , & reſurrectioni , ac judicio univerſali antecedens , omnino notandum eſt ; ut commode explicari poſſint, quæ infra leguntur ſeg.7.

3

Sed tamen docent nos ſanctæ literæ, quemadmodum pœnas impii ſint daturi [a]. Nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rurſus carne induentur, ut in corporibus piaculum ſolvant [b] : & tamen non erit caro illa, quam Deus homini ſuperjecerit, huic terrenæ ſimilis [c] ſed inſolubilis ; ac perma-

a *Sint daturi*. Sic etiam Schottus. Al. *laturi*. Tranſit heic noſter ad pœnas, quas impii poſt univerſale judicium ſuſtinere debebunt.

b *Ut in corporibus piaculum ſolvant*. Dignum, quippe eſt, ut quæ in corporibus peccaverunt, una cum illis pœnas debitas luant. Quod tamen non officit, quin ante corporum reſurrectionem eaſdem pœnas ſubierint in ſe ipſis.

c *Huic terrenæ ſimilis*. Nota heic Lactantii noſtri propriam, expeditamque loquendi formulam, ne in errorem incidat Eutychii Patriarchæ Conſtantinopolitani, quem ad Palynodiam recantandam Sanctus Gregorius Magnus, tunc temporis S. Romanæ Sedis Conſtantinopoli Legatus, Scripturarum teſtimoniis coëgit ita, ut Eutychius jam morti proximus,

manens in æternum, ut ſufficere poſſit cruciatibus, & igni ſempiterno: cujus natura diverſa eſt ab hoc noſtro [d], quo ad vitæ neceſſa-

mus, pellem ſuam digitis contrectans, faſſus ſit: cum illa eadem, ſe reſurrecturum, ut narrat idem S. Pontifex ad cap. XIX. Job. 26. *Et rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.* Eadem quippe caro, non tamen ſimilis; nam incorruptibilitate erit donata, nec tabeſcere poterit, neque in cinerem diſſolvi, ut bene Author noſter in ſequentibus explicat.

d *Cujus natura diverſa eſt ab hoc noſtro.* In eo ſcilicet ſita diverſitas eſt, quod noſter hic pabulo indiget, ut ſervetur; ille vero ſine materiæ alicujus alimento, ſed Dei voluntate æternum perſeverat. Corporeus ne, an incomporeus ſit ignis ille? aliquando quidam etiam ex antiquis Patribus, dubitaſſe viſi ſunt. Immo Origenes Hom. XIII. in Exod. & Lib. II. cap. XI. *de Principiis*, corporeum eſſe negavit. S. Ambroſius L. VII. in Luc. cap. XIV. aperte ait: *Nec corporalium ſtridor aliquis dentium, nec ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis eſt corporalis. Ignis eſt, quem generat mæſtitia delictorum* &c. S. Gregorius Nyſſenus *de Anima*, & *Reſurr.* huic favet ſententiæ; item S. Johan. Damaſcen. L. IV. *de fide orth.* c. ultimo, aliique idem ante, & poſt Hieronym. ſenſerunt, qui propterea in Iſai. LXIV. ait: *Ignis, qui non extinguitur a pleriſque conſcientia accipitur delictorum.* At in Latina præſertim Eccleſia contraria ſemper ſententia obtinuit. Vide S. Cyprianum *de Laude Martyrii*. S. Hieronym. *in cap. X.*

ceſſaria [e] utimur: qui niſi alicujus materiæ fomite alatur, extinguitur.

cap. x. Matth. Authorem ſub ejus nomine *in Job. cap. xx.* S. Auguſt. *L. xxi. de Civit. Dei cap. x.* & *de fide, & operib. cap. xv.* S. Gregor. M. *L. xv. Mor. cap. xxix.* & inter Græc. S. Johan. Chriſoſt. *Hom* XLIV. *&* LV. *in Matth. & Hom. XIII. in Epiſt. ad Rom. &* Hom. IV. in eandem.

e *Ad vitæ neceſſaria.* Schottus, *ad vitæ neceſſitatem.*

4

At ille divinus per ſeipſum ſemper viget ſine ullis alimentis [a], nec admiſtum habet fumum; ſed eſt purus, ac liquidus, & in aquæ modum fluidus [b]. Non enim vi aliqua fur-

a *At ille divinus per ſe ipſum ſemper vivit, ac viget ſine ullis alimentis*: Author in Job. cap. xx. inter opera S. Hieronym. ait: *Ignis Gehennæ non materiis quibuſdam, & pabulis vivit; aut ardet; ſed per ſe ipſum, ut creatus eſt, vigens* &c.

b *Sed eſt purus, ac liquidus, & in aquæ modum fluidus*: Schottus: *fluvidus*. Daniel. VII. ℣. 10.
Fluvius igneus, rapiduſque egrediebatur a facie ejus.

Et hinc fortaſſe Poetæ flumina apud Inferos commenti ſunt, quibus nomina dederunt id ſignificantia: *Acheron*, id eſt: *ſine gaudio. Phlegethon*, de quo Virg.

ſurſum verſus urgetur, ſicut noſter, quem labes terreni corporis, quo tenetur, & fumus intermiſtus exilire cogit [c], & ad cæleſtem

Virg. L. VI. Æn. ℣. 551, ceu *Flentium lagrymis auctus locutus*, quod pariter dicitur a Fletu. *Lethes* ab oblivione, & *Stygia Palus* a triſtitia. Unde Virgilius L. VI. Æn. a ℣. 438.

. . . . Triſtique Palus inamabilis unda
Alligat, & novies Styx interfuſa coercet.

Quo dicendi modo Theologi noſtri utuntur ad explicandum, quomodo ignis corporeus agat in ſpiritus; per violentam nimirum alligationem: ſecundum illud Iſai. XXIV. ℣. 22. *Et congregabuntur in congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere.*

c *Et fumus intermixtus exilire cogit*. Quamvis Ariſtoteles: *de Generat., & corrupt. L. II. c.* VIII. dicat, ignem ſuapte natura ferri ſurſum, tamquam ad terminum univerſi, & Sextus Empiricus idem ei tribuat, quia natura levis eſt; tamen Dæmonaces apud Græcos, & Boyles apud Latinos recentiores de Flammæ Ponderabilitate agentes, Epicuri ſententiam ſecuti ſunt, qua nunc utitur Lactantius, reſpiciens ad Lucret. L. II. a ℣. 186.

. . . . Nullam rem poſſe ſua vi
Corpoream ſurſum ferri, ſurſumque meare.
Nec tibi dent in eo flammarum corpora fraudem;
Surſum enim Vorſus gignuntur, & augmina ſumunt.

Et infra.

Nec quum ſublimium ignis ad tecta Domorum,
Et celeri flamma deguſtant tigna, trabeſque,
Spon-

ſtem naturam cum trepidatione [d] mobili ſubvolare.

Sponte ſua facere id ſine vi ſubjecta putandum eſt. Hanc autem vim, aerem fumo admixtum cum eodem Epicuro nonnulli explicant recentiores.

d *Trepidatione*. Schottus: *crepitatione*. Nubes, & Flammæ per translationem trepidare dicuntur, quum ventis agitantur.

§ 5 §

Idem igitur divinus ignis una, eademque vi, atque potentia & cremabit impios, & recreabit [a], & quantum e corporibus abſumet [b], tantum reponet, ac ſibi ipſe æternum pabulum [c] ſubminiſtrabit: quod poetæ in vulturem Tytii tranſtulerunt: [d] ita ſine ul-

---

a *Et cremabit impios, & recreabit*. Id eſt, ita in cruciatibus ſervabit, tamquam ſi denuo ſemper id, quod flamma abſumit, flamma iterum, ſtatimque crearet. In hoc eodem ſenſu verbum *Recreo* ſumptum eſt a Nemeſiano in Cyneget. ℣. XVIII.

Quis magno recreata tacet cunabula Bacco?

Et Lucretius L. v. V. 324.

Nam quodcumque alias ex ſe res auget, alitque
Deminui debet, recreari quum recipit res &c.

b *Abſumet*. Schottus: *aſſumet*.

c *Æternum pabulum*. Vide Orientii *Commonit.* a V. 154.

d *In vulturem Tytii tranſtulerunt*. Vix ullus ex-

an-

ullo revireſcentium ᵉ corporum detrimento aduret tantum, ac ſenſu doloris afficiet.

---

antiquis Poetis eſt, qui Tytii fabulam aliquo modo non tangat. Homerus Odyſſ. L. XI. a V. 575. deſcribit à vulturibus utrimque aſſidentibus jecur ejus dilacerari. At Virgilius VI. æneidum a V. 597. quamvis Græci locum exſcribat, tamen cæteris omnibus fœlicius, quod heic a noſtro tangitur, hiſce carminibus exprimit:

> . . . . *Roſtroque immani vultur adunco*
> *Immortale jecur tondens, fœcundaque pœnis*
> *Viſcera, rimaturque epulis, habitatque ſub alto*
> *Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.*

e *Revireſcentium*: Sic etiam Aldus, & Schottus: Al. *vireſcentium*. Al. *reviviſcentium*. L. Florus in procemio ſui operis hac voce utitur: *quaſi reddita juventute revireſcebant* a verbo *revireſco*, quo Colum., Ovid., Silius, & etiam Cicero pro *reviviſco* uſurparunt. Unde miror, quare Freinshemius, & Dukerus inter voces rariores hanc etiam apud Bunem. heic recenſeant. Vide ſupra ad Cap. XV.

6

Sed & juſtos quum judicaverit, ᵃ etiã igni eos

---

a *Sed & juſtos quum judicaverit*: Pendent hæc ex iis, quæ a nobis annotata ſunt cap. antecedenti ſeg. 6. (a). Et lucem accipiunt ex I. ad Corinth. cap. XV. V. 51. *Omnes quidem reſurgemus; ſed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi* &c. Quæ

eos examinabit. Tum quorum peccata [b] vel pondere, vel numero prevaluerint, perſtringentur igni, atque amburentur, quos autem plena juſtitia [c], & maturitas virtutis in-

Quæ de hac prima reſurrectione, & judicio intelligi nequeunt; ut ſuo loco viſuri ſumus.

b *Tum quorum peccata vel pondere, vel numero prævaluerint, perſtringentur igni, atque amburentur.* Quum heic de juſtis ſermo fiat, jam ignis ille, quo expiari debent, non eos æternum affliget; ſed idem ille erit, de quo Apoſtolus eadem Epiſt. 1. ad Corinth. ait cap. III. V. 13. *Unicuſque opus manifeſtum erit, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit; ipſe autem ſalvus erit, quaſi per ignem.* Ubi nota, quod *Tò ſalvus erit*: idem valet, ac *liber evadet* ab igne, quo purgandus tandiu erit, quandiu pœnæ temporariæ erit obnoxius: *ſicuti namque igne probatur argentum*, inquit Sapiens in Proverbiis cap. XVIII. V. 3., *& aurum in camino: ita corda probat Dominus*. En igitur ignis ille purgatorius, per quem ii omnes tranſituri ſunt qui a peccatorum reliquiis indigent expiari; non enim intrabit in gloriam Domini *aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium; niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni*, ut habetur Apocal. XXI. V. 27. Vide S. Ambr. *ad Luc. cap.* XXIII. V. 42. Auguſt. L. II. *de Geneſ. contra Manich.* &c.

c *Quos autem plena juſtitia* &c. Ii in primis erunt Martyres, & ſancti omnes, de quibus Apocal. XX. V. 6. dicitur: *Beatus, & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima: in his ſecunda mors non habet* po-

incoxerit, ignem illum non ſenſient; [d] habent enim in ſe aliquid Dei, quod vim flammæ repellat, ac reſpuat. [e]

---

poteſtatem; ideoque neque duplex judicium. *Sed erunt Sacerdotes Dei, & Chriſti, & regnabunt cum eo mille anni*; id eſt, ad exitum uſque ſæculorum ante extremum judicium beatitate gaudebunt animæ ipſorum, quas ignis purgatorius non tanget. Vide S. Auguſt in Pſal. xxxvii. V. 1., & interpretes ad Matth. v. V. 25. xii. V. 36. &c.

d *Habent enim in ſe aliquid Dei* &c. Nempe participationem naturæ divinæ per gratiam, & charitatem conſummatam. Bon., Aldus, & Schottus ſic legunt. Al. verba poſponunt. Al. ultimam vocem omittunt. Al. *in ſe aliquid inde*.

e *Quod vim flammæ repellat, ac reſpuat*. Al. *ac rejiciat*.

7

Tanta enim virtus eſt innocentiæ, [a] ut ab ea ignis ille refugiat innoxius, qui accepit a Deo hanc poteſtatem, [b] ut impios urat ju-

---

a *Tanta enim virtus eſt innocentiæ*. Aldus. *Tanta enim eſt viri innocentia*. Al. *vis innocentiæ*.

b *Qui accepit a Deo hanc poteſtatem*. Schottus; *quia accipiat* &c. Prodigium hocce viſum fuit in fornace Babilonica, ut habetur Daniel. III. a V. 48. Al. *hanc potentiam*.

juſtis obtemperet. Nec tamen quiſquam putet, animas poſt mortem protinus judicari; Nam c omnes in una communique cuſtodia detinentur, d donec tempus adveniat, quo maximus judex meritorum faciat examen.

Tum

c *Nec tamen quiſquam putet, animas poſt mortem protinus judicari.* Plerique antiquorum Eccleſiæ Patres in ea fuere opinione, ut putarent, pœnas, & præmia differri uſque ad extremi judicii diem; quam tamen Concilii Florentini, atque Tridentini Patres cum aliis proſcripſerunt. Armeni, & Anabaptiſtæ eamdem adhuc retinent, & hoc ineunte ſæculo propugnavit Thomas Burnetius in opere inſcripto; *de Statu Mortuorum, & Reſurgentium*. Lactantium in hac eadem opinione fuiſſe, verba heic laudata præſeferunt, ut innuimus L. III. cap. XIX. ſeg. 3., tamen quo ſenſu exponenda ſint, dicemus ſuo loco, ubi & ea a nobis explanabuntur, quæ cap. antecedenti ſeg. 6. (a) explicanda propoſuimus; nam non amplius de ſolis juſtorum animabus heic Noſter agit; ſed de ſingulis, ut quæ mox ſequuntur, oſtendunt.

d *In una, communique cuſtodia detinentur.* Non liquet adhuc diverſi ne, an ſecus ſint inferni carceres, in quibus purgantur electi, puniuntur reprobi, & ii detinentur, qui ante rationis uſum ex hac vita migrarunt. S. Auguſtinus cap. CVIII. *Henchir. ad Laurent.* cum Lactantio ſenſiſſe viſus eſt: ait enim: *Tempus autem, quod inter hominis mortem, & ultimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet, ſicut unaquæque digna eſt vel requie, vel ærumna, pro eo quod ſortita eſt in carne, quum viveret.* Quorum verborum ſenſa S. Thomas exponit *L.* IV. *ſentent. Diſtinct.* XLV. A. I.

8

Tum quorum fuerit probata juſtitia, ii præmium immortalitatis accipient: [a] quorum autem peccata, & ſcelera detecta fuerint, non reſurgent; [b] ſed cum impiis in eaſdem tenebras recondentur, [c] ad certa ſupplicia deſtinati.

---

a *Præmium immortalitatis accipient*. Reaſſumptis ſcilicet corporibus.

b *Non reſurgent*. Nimirum nec in primo, neque in ſecundo judicio; in ea tamen acceptione, ſecundum quam expoſuimus dicta cap. xx. ſeg. 5. (d)

c *Recondentur*. Al. *retrudentur*. Bunemannus heic notat: *Ergo Noſter non ſtatuit impios ad nihilum redigi*; ſed ad *certa ſupplicia reſervari*. *Egregie hunc n.* 8. *illuſtrat Fabricius in Bibl. Græca* L. I. c.xxxii. 9. 6. p. 207. Sed non eſt opus lectorem ad Fabricium ablegare, quum nihil magis obvium ſit in Lactantii operibus, quam impios æternum damnatum iri,

CAP. XXII.

1

Figmenta hæc eſſe poëtarum quidam putant [a] ignorantes, unde illa poëtæ accepe-

---

a *Figmenta hæc eſſe poetarum quidam putant*: Lu-

perint, ac negant hæc fieri poſſe, nec mirum eſt illis videri.

Lucretius hac impudenti opinione imbutus ſic Memmium ſuum allocutus eſt L. 1. a V. 103.

Tutemet a nobis jam quovis tempore vatum
Terriloquis victus dictis deſciſcere quaris? &c.

Nec prorſus diſſimilia ſunt ab iis ea, quæ viri fortes noſtrorum temporum in ſuis effutiunt cantilenis.

2

Aliter enim, quam res habet [a], traditur a poetis: qui licet ſint multo antiquiores, quam hiſtorici, & oratores [b], & cæte-

a *Aliter enim, quam res habet*. Al. *quam res ſe habet*. Sed nullum vidimus Ms. codicem, in quo pronomen appareat, quod ſine ſententiæ detrimento abeſſe poteſt.

b *Qui licet ſint multo antiquiores, quam hiſtorici, & Oratores* &c. Betulejus heic, *apud Græcos*, inquit, *quidem poetices origo ad Orpheum, hiſtoriæ ad Cadmum refertur. Vterque fuit iis temporibus, quibus judices Hebræis præfuerunt; ſed Cadmus Orpheo aliquanto fuit antiquior; ergo hiſtoria quoque poetica vetuſtior eſt. Sed apud Hebræos aliquot annis ante in utraque excelluit Moſes Hebræorum legislator*. Non autem de iis heic Lactantius locutus eſt; ſed de illorum operibus, quæ per paganorum manus circumferebantur, & unde eorum religio, ac Mythologia in-

ra genera ſcriptorum : tamen quia myſterium divini ſacramenti neſciebant, & ad eos mentio reſurrectionis futuræ obſcuro rumore [c] pervenerat, eam verò temere, ac leviter auditam, in modum commentitiæ fabulæ prodiderunt.

incrementa deprompſerant. Eos, autem poetas fuiſſe exploratiſſimum eſt; nam omiſſo Orpheo, cujus ætas, & perſona ſatis incerta habetur; fatentur tamen omnes, Homerum, & Heſiodum longe præceſſiſſe Herodotum hiſtoricorum ethnicorum principem, alioſque, quorum de diverſis facultatibus libri in uſu erant apud Gentes.

c *Obſcuro rumore* : In Bon. iiſdem characteribus ſed paullulum luxatis, & apud Schottum, *obſcurorum ore* : legitur. Al. *obſcuro more* Al. *obſcuro ore*. Al. *obſcurius*. Tacitus L. XIII. Ann. n. 6. *Fine anni turbidis rumoribus* &c. Et L. XV. n. 48. *Claro apud vulgum rumore erat*.

3

Et tameu iidem teſtati ſunt, non autorem ſe certum; ſed opinionem ſequi, ut Maro, qui ait :

Sit mi hi fas [a] *audita loqui*.

a *Sit mihi fas* &c. Virgil. Æn. VI. V. 266.

4

Quamvis igitur veritatis arcana in parte Cor-

corruperint: tamen ipſa res eo verior invenitur, quo cum prophetis [a] in parte conſentiunt, quod nobis ad probationem rei ſatis eſt.

---

a *Quo cum Prophetis*. Al. *quod cum Prophetis*: Ideo lectionem noſtram prætuli, quia in pluribus Mss. eam vidi, & in noſtro Bon. puncta quædam ſub Tò *quod* ſic ſunt appoſita, quæ, Maff.jo docente in Epiſt. ad Apoſtolum Zenum de Codice Taurinenſi, quam damus Diſſ. XIII. §. x., ut ſigna ad correctionem indicandam, apponuntur.

5

Errori tamen eorum ſubeſt ratio nonnulla. Nam quum prophetæ aſſiduis concionibus [a] prædicarent, judicaturum eſſe de mortuis filium Dei, & hæc annuntiatio non lateret: quoniam rectorem cæli non alium putabant [b], quam Jovem: judicare apud inferos Jovis filium tradiderunt; ſed tamen non Apollinem, aut Liberum, aut Mercurium [c], qui cæleſtes putantur, ſed eum, qui & mor-

 tal-

---

a *Aſſiduis concionibus*. Bon. *cantionibus*.

b *Rectorem Cæli non alium putabant*. Bon. interponit *Dominum*. Et ſic Aldus. Al. addunt *eſſe*. Al. *Deum*. quæ gloſſemata judicantur.

c *Non Apollinem, aut Liberum, aut Mercurium* de quibus ad Lib. primum diximus.

talis fuerit [d], & juſtus, vel Minoem [e], vel Aeacum, [f] vel Rhademanthum [g].

d *Sed eum, qui & mortalis fuerit*. Al. *ſed Deum* nobiſcum Al., & Schottus.

e *Minoem*. Ad Lib. I. cap. XXII. de eo locuti ſumus; illuc ergo te ablego, & ad Cicer. I. Tuſcul. quæſt.

f *Vel Æacum*. Etiam hunc Jovis filium ex Europa fuiſſe, dicit Servius ad Lib. VI. æn.; alii vero ex Ægina genitum, & apud Œnopiam, ſeu Œnonem Inſulam, etiam regnaſſe aſſerunt, eamque de matris nomine Æginam appellaſſe. Peſte regnum ſuum devaſtante, Jovem patrem oraſſe, traditur, ut hominibus jam deficientibus, formicas, quas viderat, homines faceret; quo impetrato, eos ex etymo Myrmidonas vocarit. Poetæ eum cum fratribus judicem apud inferos conſtituunt, unde Horat. Carm. L.II. Od. XIII. a V. 21.

Quam pene furvæ regna Proſerpinæ,
Et judicantem vidimus Æacum,
Sedeiſque diſcretas piorum &c.

g *Vel Rhadamanthum*. Et hic Europæ, & Jovis filius fuiſſe, dicitur, Rex Lydiæ admodum ſeverus de quo Virgilius VI. æn. V. 565.

Gnoſſus hæc Rhadamanthus habet duriſſima Regna
L. III. cap. XX. ſeg. 17. aliqua de eo diximus.

6

Corruperunt igitur poetica licentia, quod acceperant: vel opinio veritatem per diverſa ora, ſermoneſque varios diſſipata [a] mutavit. Nam

a *Diſſipata*. Bon. *diſſipatam*.

7

Nam quod peractis apud inferos mille annis, rurſus ad vitam reſtitui cecinerunt, Marone ita dicente [a]:

Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos;
Letheum ad fluvium Deus evocat agmine magno.
Scilicet immemores ſupera ut convexa reviſant,
Rurſus & incipiant in corpora velle reverti:

a *Marone ita dicente*. Virg. æn. VI. 748.

8

Hæc eos ratio fefellit, quod reſurgent defuncti, non poſt mille annos mortis ſuæ, ſed ut reſtituti rurſus in vitam mille annis cum Deo regnent [a]; Deus enim veniet, ut orbe hoc ab omni labe purgato [b], redi-

a *Mille annis cum Deo regnent*. Iterum de Regno millenario loquitur, de quo infra.

b *Orbe hoc ab omni labe purgato*: Per ignem de Cælo miſſum terrarum orbem ante judicii diem purgatum iri, ex II. D. Petri Apoſtoli Epiſt. cap. III. ℣. 7.

talis fuerit [d], & juſtus, vel Minoem [e], vel Aeacum, [f] vel Rhademanthum [g].

d *Sed eum, qui & mortalis fuerit*. Al. *ſed Deum* nobiſcum Al., & Schottus.

e *Minoem*. Ad Lib. I. cap. XXII. de eo locuti ſumus; illuc ergo te ablego, & ad Cicer. I. Tuſcul. quæſt.

f *Vel Æacum*. Etiam hunc Jovis filium ex Europa fuiſſe, dicit Servius ad Lib. VI. æn.; alii vero ex Ægina genitum, & apud Œnopiam, ſeu Œnonem Inſulam, etiam regnaſſe aſſerunt, eamque de matris nomine Æginam appellaſſe. Peſte regnum ſuum devaſtante, Jovem patrem oraſſe, traditur, ut hominibus jam deficientibus, formicas, quas viderat, homines faceret; quo impetrato, eos ex etymo Myrmidonas vocarit. Poetæ eum cum fratribus judicem apud inferos conſtituunt, unde Horat. Carm. L. II. Od. XIII. a V. 21.

Quam pene furvæ regna Proſerpinæ,
Et judicantem vidimus Æacum,
Sedeiſque diſcretas piorum &c.

g *Vel Rhadamanthum*. Et hic Europæ, & Jovis filius fuiſſe, dicitur, Rex Lydiæ admodum ſeverus de quo Virgilius VI. æn. V. 565.

Gnoſſus hæc Rhadamanthus habet duriſſima Regna
L. III. cap. XX. ſeg. 17. aliqua de eo diximus.

6

Corruperunt igitur poetica licentia, quod acceperant: vel opinio veritatem per diverſa ora, ſermoneſque varios diſſipata [a] mutavit. Nam

a *Diſſipata*. Bon. *diſſipatam*.

7

Nam quod peractis apud inferos mille annis, rurſus ad vitam reſtitui cecinerunt, Marone ita dicente [a]:

Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos;
Letheum ad fluvium Deus evocat agmine magno.
Scilicet immemores ſupera ut convexa reviſant,
Rurſus & incipiant in corpora velle reverti:

a *Marone ita dicente*. Virg. æn. VI. 748.

8

Hæc eos ratio fefellit, quod reſurgent defuncti, non poſt mille annos mortis ſuæ, ſed ut reſtituti rurſus in vitam mille annis cum Deo regnent [a]; Deus enim veniet, ut orbe hoc ab omni labe purgato [b], redi-

a *Mille annis cum Deo regnent*. Iterum de Regno millenario loquitur, de quo infra.

b *Orbe hoc ab omni labe purgato*: Per ignem de Cælo miſſum terrarum orbem ante judicii diem purgatum iri, ex II. D.Petri Apoſtoli Epiſt. cap.III. ℣. 7.

vivas juſtorum animas [c] corporibus innovatis ad ſempiternam beatitudinem ſuſcitet.

V. 7. habetur: *Cæli, qui nunc ſunt, & terra igni reſervati ſunt in diem Judicii.* Et Ovid. Lib. I. Metam. p. 17. a V. 13.

Eſſe quoque in Fatis reminiſcimur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque Regia Cæli
Ardent, & mundi moles operoſa laboret.

c *Redivivas juſtorum animas.* Al. *divinas juſtorum animas.* Male Al. *redivivis juſtorum animas corporibus immiſſas.* Al. *redivivas immiſſas.* Quod eſt gloſſema, & explicatio lectionis noſtræ. Vide Guil. Budæum L. I. Epiſt. ad Longob. XXXI.

9

Itaque præter aquam oblivionis [a] vera ſunt cætera: quam icciroo finxerunt, ne quis illud [b] opporneret: Cur ergo non meminerunt ſe aliquando vixiſſe, aut qui fuerint, aut quæ geſſerint? Sed nihilominus tamen veriſimile non putatur, & res tota velut licenter, & fabuloſe ficta reſpuitur.

a *Præter aquam oblivionis*: Scilicet fluminis Lethei, de quo jam ſupra diximus.
b *Ne quis illud.* Al. cum Schotto, *illis.*

10

Nobis autem de reſurrectione [a] affirmantibus

tibus,& docentibus,animas ad alteram vitam non oblitas ſui, ſed in eodem ſenſu, ac figura eſſe redituras [b], illud opponitur; *Tot jam ſæcula tranſierunt, quis unquam unus* [c] *ab inferis reſurrexit, ut exemplo ejus fieri poſſe credamus?*

a *De reſurrectione*. Schottus: *reſurrectionem*.

b *In eodem ſenſu, ac figura eſſe redituras*. Scilicet ad corpus organicum, quod per mortem dimiſerant, animandum:

c *Quis unquam unus* &c. Apud Minucium Felicem ſic Cæcilius in Octavio pag. 11. *Ergo homo novus naſcitur, non prior ille reparatur; & tamen tanta ætas abiit, ſæcula innumera fluxerunt, quis unus ab inferis, vel Protoſilai ſorte, remeavit, horarum ſaltem permiſſo commeatu, vel ut exemplo credamus?*

11

At enim reſurrectio fieri non poteſt, dominante adhuc injuſtitia. Hoc enim ſæculo necantur homines [a] vi, ferro, inſidiis, venenis: afficiuntur injuriis, egeſtate, carceribus, tormentis, proſcriptionibus.

a *Necantur homines*. Al. *negantur*.

12

Eo accedit, [a] quod juſtitia inviſa

eſt, quod omnes, qui Deum ſequi volunt; non tantum odio habentur, ſed vexantur omnibus contumeliis, & excruciantur multiplici genere pœnarum, & ad impios cultus manu factorum Deorum [b] non ratione, aut veritate; ſed nefanda corporum laceratione coguntur.

a *Eo accedit*. Sic etiam Aldus, & Schostus. Al. *Eodem accedit*.

b *Et ad impios cultus manu factorum Deorum*. Al. *fabricatorum Deorum*. Adverte, quod nondum heic finitam perſecutionem decennalem, Author noſter deſcribit.

13

Num igitur oportet ad hæc eadem reſurgere, & reverti homines ad vitam, in qua tuti eſſe non poſſint? Quum ergo juſti tam viles habeantur, tam facile tollantur: [a] quid putemus futurum fuiſſe, ſi quis ab inferis rediens vitam poſtliminio [b] recepiſſet?

a *Tam viles habeantur, tam facile tollantur*. Bon. *juſtitiam viles* &c. Schottus: *ac vitæ facile tollantur*. Al. *tum vitæ* &c.

b *Poſtliminio*. Al. *poſtremo*.

14

Auferretur profecto [a] ab oculis hominum, ne

ne viſo eo, vel audito, Deos univerſi relinquerent, & ſe ad unius Dei cultum, religionemque converterent.

a *Auferretur profecto*. Al. *Aut feriretur perferrum*, *aut oculis* &c.

15

Ergo ſemel fieri reſurrectionem neceſſe eſt; quum malum fuerit ablatum, quoniam eos, qui reſurrexerint, nec mori jam ulterius, nec violari ullo modo fas eſt, ut beatam poſſint agere vitam, quorum mors reſignata eſt [a].

a *Quorum mors reſignata eſt*: Verbum *reſigno* plurimos habet ſenſus, & quidem ſibi oppoſitos: E.g. *claudere*, ut Virgil. æn. IV. V. 244.

Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.

Et interdum *aperire*; ut apud Horat. L. I. Epiſt.VII. V. IX. ...... *teſtamenta reſignat*, id eſt, *prius ſignata aperit*. At Lactantius idem verbum pro *abrogare* cum Cicerone uſurpat Orat. pro Archia: *Omnem tabularum fidem reſignaſſet*. Vide ad Lib.IV. cap. XII. ſeg. 15. (c)

16

Poetæ vero, quum ſcirent, hoc ſæculum malis omnibus redundare, oblivionis amnem

amnem induxerunt, ne laborum, ac malorum memores animæ reverti ad ſuperos [a] recuſarent:

a *Reverti ad ſuperos*: Schottus, & alii quidam: *remitti ad ſuperos*.

17

Unde Virgilius [a]:

O pater, anne aliquas ad cælum hinc
ire putandum eſt
Sublimes animas, iterumque ad tarda
reverti
Corpora? Quæ lucis miſeris tam dira
cupido?

a *Virgilius*. æn. VI. V. 719.

18

Ignorabant enim quomodo, aut quando id fieri oportet: itaque renaſci eas putaverunt, & denuo ad uterum volvi [a], atque ad infantiam regredi. Un-

a *Itaque renaſci eos putaverunt, & denuo ad uterum* &c. Sic Nicodemus apud Johan. III. V. 4. quamvis Magiſter eſſet in Iſrael, Chriſti Domini effatum de nova Proſelytorum nativitate non intellexiſſe videtur, quum eidem dixit: *Quomodo poteſt homo renaſci, quum ſit ſenex? Numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterato introire, & renaſci?*

19

Unde etiam Plato de anima differens [a], ex hoc, ait, poſſe cognoſci animas eſſe immortales, atque divinas, quod in pueris mobilia ſunt ingenia, & ad percipiendum facilia: quod ea, quæ diſcant, ita celeriter capiant, uti non tunc primum diſcere illa videantur; [b] ſed recognoſcere, atque reminiſci; in quo vir ſapiens poetis ineptiſſime credidit [c].

CAP.

---

a *Plato de Anima differens*. Cicer L. I. *Tuſcul. quæſt.* de memoria loquens ait; *Quam quidem Plato recordationem eſſe vult ſuperioris vitæ*.

b *Uti non tunc primum diſcere illa videantur* &c. Cicero ibidem paullo infra: *Neque ea plane videt animus, quam tam repente in inſolitum, tamque perturbatum domicilium immigravit; ſed quum ſe collegit, atque recreavit, tum agnoſcit illa reminiſcendo. Ita nihil aliud eſt diſcere, niſi recordari*. Vide Platon. *in Phædone*.

c *Poetis ineptiſſime credidit*: Homerum intellige nam Maximus Tyrias de hoc eodem argumento agens Diſſ. xvi. olim. xxviii. §. v. ait: *Talem eſſe animum* (nempe mortalem) *neque Pythagoræ, neque Platonis concedunt oracula: ſed nec id judicavit, qui præceſſit eos, Homerus, cui etiam apud inferos loquuntur animæ, ac ne ibi quidem divinare deſinunt*. Idem fore dicit Citharoedus ille apud eumdem:

Sponte mea didici; tribuerunt Numina Muſæ.

quæ dicta ſint propter Daviſium, qui ad Ciceronis laudatum locum, Platonem non Poetis; ſed Pythagoræ potius, ait, credidiſſe.

CAP. XXIII.

1

NOn igitur renaſcentur, quod fieri non poteſt, ſed reſurgent [a], & a Deo corporibus induentur, & prioris vitæ, factorumque omnium memores erunt; & in bonis cæleſtibus collocatæ, ac fruentes jucunditate innumerabilium copiarum, præſenti Deo gratias agent: quod malum omne deleverit: quod eos ad regnum, vitamque perpetuam ſuſcitarit.

a *Sed reſurgent*. Gallæus heic inquit: *Falſum eſt hoc. Caro reſurget, non anima*; ſed temere, ac nimis propere; ſi enim periocham totam legiſſet, vel ſaltem Lactantii ſententiam de Animæ immortalitate meminiſſet, non erat cur talem notam illi inureret.

2

Qua de anaſtaſi [a] Philoſophi quoque [b] dicere aliquid conati ſunt tam corrupte, quam poetæ. Nam Pythagoras tranſire animas

a *De Anaſtaſi*. Id eſt de reſurrectione, ut infra.
b *Philoſophi quoque*. Vide Maxim. Tyr. Differt. ſupra laudata.

mas in nova corpora [c] diſputavit, ſed inepte, quod ex hominibus in pecudes, & ex pecudibus in homines, & ſeipſum ex Euphorbo eſſe reparatum.

---

c *Tranſire Animas in nova corpora*. De Pythagoræ Metempſycoſi jam egimus ad L. I. cap. v. Vide etiam Maxim. Tyr. ubi ſupra.

3

Melius Chryſippus [a], quem Cicero ait fulcire porticum Stoicorum, qui in libris, quos de providentia ſcripſit, quum de innovatione mundi loqueretur, hæc intulit [b] *τούτου δὲ οὕτως ἔχοντος, δῆλον ὡς οὐδὲν ἀδύνατον, καὶ ἡμᾶς μετὰ τὸ τελευτῆσαι πάλιν περιόδων τινῶν εἰλημμένων χρόνου, εἰς ὃ νῦν ἐσμὲν ἀποκαταστήσεσθαι σχῆμα.*

---

a *Chryſippus*. De quo vide Ciceron. *in Lucul.* & ſupra ad L. I. cap. v.

b *Hæc intulit*: Ad oram noſtri Codicis, quæ ſequuntur Græca, ſic latine ſunt reddita: *Quod quum ita ſit, apparet, non eſſe impoſſibile, etiam nos poſt exceſſum noſtrum rurſum, ſpatiis quibuſdam temporum revolutis, in hunc reſtitui ſtatum, in quo nunc eſſe videmur.*

4

Sed nos ab humanis ad divina redeamus,

mus, Sibylla dicit hæc [a].

> Δύσπιστον γὰρ ἅπαν μερόπων γένος, ἀλλ᾽ ὅταν ἤδη
> Κόσμου καὶ θνητῶν ἔλθῃ κρίσις ἣν θεὸς αὐτὸς
> Ποιήσει κρίνων ἀσεβεῖς θ᾽ ἅμα εὐσεβίας τε,
> Καὶ τότε δυσσεβέας μὲν ᾽επὶ ζόφον ἐν πυρὶ πέμψει:
> Ὅσσοι δ᾽ εὐσεβέουσι, πάλιν ζήσουσ᾽ ᾽επὶ γαίης.
> Πνεῦμα θεοῦ δόντος, τιμὴν ἅμα καὶ βίον αὐτοῖς.

---

a *Sibylla dicit hæc*: Al. *Sibylla iterum dicit*. Carmina Sibyllina ſic latine habentur in noſtro Cod.

> *Eſt enim difficile credens, omne hominum genus; ſed quum jam*
> *Mundi, & mortalium venerit judicium, quod Deus ipſe*
> *Faciet, judicans impios ſimul, & pios,*
> *Tunc demum impios quidem in ignem ad tenebras mittet;*
> *Qui autem pietatem tenent iterum vivent, & in terra*
> *Spiritum, Deo dante, honoremque ſimul, & vitam eis.*

Habentur hæc Græce in edit. Gall. p. 490. L. IV.

5

Quod ſi non modo prophetæ, ſed etiam vates, & poëtæ, & philoſophi anaſtaſim mortuorum futuram eſſe conſentiunt: nemo quærat

rata nobis quemadmodum fieri poſſit, nec enim divinorum operum reddi poteſt ratio. [a] Sed ſi a principio Deus hominem, neſcio quo inenarrabili [b] modo inſtituit; credamus ab eodem reſtitui veterem poſſe, qui novum fecit.

---

a *Nec enim divinorum reddi poteſt ratio*. Deo enim ſoli eſt pro ratione voluntas. Utpote qui Dominus eſt rerum omnium.

b *Inenarrabili*. Al. *ammirabili*. Al. *mirabili*. Al. *venerabili*.

C A P. XXIV.

I

Nunc reliqua ſubnectam. Veniet igitur ſummi, & maximi Dei filius: ut vivos, ac mortuos [a] judicet, teſtante atque dicente Sibylla [b]:

Πα-

---

a *Ut Vivos, & Mortuos*. Gallæus, & Langletius. *Hoc*, inquiunt, *ſalva fide Catholica dicitur*, & authoritate Scripturarum id oſtendere conantur; ſed re vera non *ſalva fide* dicendum erat; ſed potius hoc de fide eſt; imo unus eſt ex fidei articulis in ſymbolo expreſſe credendis.

b *Dicente Sibylla*. Sic latine in noſtro Cod. leguntur hæc carmina:

In

Digitized by Google

Πάσης γὰρ γαίης τότε θνητῶν σύγχυσις ἔςαι,
Αὐτὸς ὁ παντοκράτωρ ὅτ' ἂν ἔλθῃ βήματι κρῖναι
Ζώντων καὶ νεκύων ψυχὰς, καὶ κόσμον ἅπαντα.

In omni enim terra tunc mortalium confuſio erit,
Ipſe omnipotens quum venerit pro tribunali judicare
Viventium, mortuorumque animas & omnem mundum.

Græce habentur in Gall. editione pag. 692. L. VIII.

2

Verum ille quum deleverit injuſtitiam, judiciumque maximum fecerit; ac juſtos, qui a princio fuerunt, ad vitam reſtauraverit [a], mille annis inter homines verſabitur [b], eoſque juſtiſſimo imperio reget.

Quod

a *Ad vitam reſtauraverit*. Betulejus: *Eruditi*, inquit, *negant hoc verbum eſſe latinum, qui* Inſtauro *ab* Inſtar *ducunt. Quare & ipſe cenſeo, Lactantium hominem tam Ciceronianum*: Inſtaurare: *& non* reſtaurare, *ſcripſiſſe*. At Tacitus *in Ann.* L. III. 72. L. IV. 43. eodem verbo uſus eſt. Juſtinus Hiſt. L. III. cap. V. L. XX. cap. V. & alibi non raro idem uſurpat. Adde Vorſt. *de Lat. falſo ſuſp.* p. 173.

b *Mille annis inter homines verſabitur*. En Regnum

Quod alia Sibylla vaticinans furenſque proclamat [c].

Κλῦτε δέ μευ μέροπες, βασιλεὺς αἰώνιος ἄρχει.

---

gnum illud millenarium, quod Chriſto Domino plurimi ex antiquioribus Eccleſiæ Patribus ex cap. xx. ℣.4. Apoc. aſſignarunt poſt primam juſtorum reſurrectionem; ſed vide a nobis dicta Diſſ. xxxiii. c.III. §. iv. ne eadem pluries repetamus.

c *Quod alia Sibylla vaticinans furenſque proclamat*: Carmen hocce in Codice Græco Sibyllinorum Oraculorum, nuſquam reperiri potuiſſe teſtantur omnes, qui ad Lactantium notas adjecerunt; latine vero ſic redditum in noſtro Bononienſi Ms. Codice legitur: ***Audite autem me homines: Rex imperat æternus***. Forte alia erant addenda, quæetiam indicabant ea, de quibus infra Noſter loquitur; & iis ſimilia ſunt, quæ ad finem libri iv. Oraculorum Sibyllinorum leguntur in editione Gallæana pag. 539. Pro *alia*, ſunt qui legunt: *alibi*.

3

Tum qui erunt in corporibus vivi, non morientur, ſed per eoſdem mille annos infinitam multitudinem generabunt, [a] & erit ſo-

bo-

---

a ***Infinitam multitudinem generabunt***. Non una eademque fuit illorum ſententia, qui millenarium Chri-

boles eorum ſancta, & Deo cara. Qui autem ab inferis ſuſcitabuntur, ii præerunt viventibus, [b] velut judices. Gen-

---

Chriſti, Sanctorumque regnum in terris ſtatuerunt; nam Cerinthus, Marcion, Nepos, aliique quidam damnati jam nominis Scriptores, duobus potiſſimum manifeſtis erroribus illam opinionem infamarunt, quorum primus erat, homines quisbuslibet tunc voluptatibus, etiam nunc vetitis, eſſe fruituros; ſecundus autem, omnia legis Moſaicæ præcepta, etiam ceremonialia, eſſe tunc ab omnibus obſervanda, ut ſuo loco ſumus viſuri. Neutrum Lactantius aſſeruit, & perperam propter verba, quæ heic expenduntur, a quibuſdam reprehenditur, quum is aperte loquatur de illis, qui poſt primum judicium *erunt in corporibus vivi*, & matrimonio juncti, quorum ſoboles erit *Sancta, & Deo cara*. Quam opinionem, ut S. Hiero. ait *ad cap.* XIX. *Hieremiæ* ℣. 10. *licet non ſequamur; tamen damnare non poſſumus, quia multi Eccleſiaſticorum virorum, & Martyres iſta dixerunt: ut unuſquiſque in ſenſu ſuo abundet, & Domini cuncta judicio reſerventur*. Ne autem inter eos recenſeri mereamur, qui hactenus cum Peterſenio regnum hocce propugnant, vide Diſſ. XXXIII. c. III. §. IV. in qua quid hac de re Catholica ſentiat Eccleſia clariſſime demonſtratur adverſus Dallæum, ac Budæum, alioſque ſimiles impoſtores.

b *Qui autem ab inferis ſuſcitabuntur, ii præerunt viventibus*: Tò *ab inferis*: heic non tormentorum loca ſignificat, ubi animæ ad pœnam, ſive temporaneam, ſive æternam detinentur; ſed ſepulcra, & terræ viſcera, in quibus corporum reliquiæ latere contigerit.

4

Gentes vero non extinguentur omnino, ſed quædam relinquentur in victoriam Dei, ut triumphentur [a] a juſtis, ac ſubjungentur [b] perpetuæ ſervituti.

---

a *Ut triumphentur*. Vide ad Lib. IV. cap. XXIV, ſeg. 28. (b)
b *Subjugentur*. Al. *ſubjungentur*.

5

Sub idem tempus etiam princeps dæmonum, qui eſt machinator omnium malorum, catenis vincietur [a], & erit in cuſtodia mille annis cæleſtibus imperii, quo juſtitia in orbe regnabit [b], ne quod malum [c] adverſus populum Dei moliatur.

R 2 Poſt

---

a *Qui eſt machinator omnium malorum, catenis vincietur*. In Apocalypſi S. Joh. eodem cap. XX. ℣. 2. legitur: *Et apprehendit Draconem ſerpentem antiquum, qui eſt Diabolus, & Satanas, & ligavit eum per annos mille*. S. Auguſtinus, ac plerique omnes ſacræ hujus prophetiæ recentiores interpretes pro hoc annorum intervallo iutelligunt tempus omne uſque ad ſæculorum conſummationem futurum; etſi ubi initium ejus figendum ſit, nemo ſanæ mentis audeat ſtatuere.

b *Quo juſtitia in orbe regnabit*. Pro gloſſemate hæc

hæc habentur ab Heum. ſed non eſt, qui cum ipſo faciat.

c *Ne quod malum.* Al. *ne quid malum.* *Quod* heic uſurpatum apparet pro *aliquod*.

6

Poſt cujus adventum[a] congregabuntur juſti ex omni terra: peractoque judicio, civitas ſancta conſtituetur in medio terræ[b]; in qua ipſe conditor Deus cum juſtis dominantibus commoretur, quam civitatem Sibylla deſignat, cum dicit[c]:

> Καὶ πόλιν, ἣν ἐποίησε θεὸς, αὐτὴν ἐποίησε.
> Λαμπροτέραν ἄςρων, καὶ ἡλίου, ἠδὲ σελήνης.

a *Poſt cujus adventum.* Noſter heic jam ad ea redit, quæ dicenda initio hujuſce capituli propoſuerat.

b *Civitas Sancta conſtituetur in medio Terræ.* In Apocal. ubi ſupra: *Et ego*, inquit, *Johannes*, *vidi S. Civitatem Jeruſalem novam deſcendentem de Cælo a Deo paratam*, *ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*. Sanctos nimirum cum Chriſto judice venientes.

c *Sibylla deſignat cum dicit*: Latine ſic in eodem Cod. noſtro leguntur hi verſus:

> *Vrbem quam Deus deſideravit*, *hanc fecit*
> *Clariorem Aſtris*, *& Sole*, *atque luna*.

In Gall. editione Lib. v. pag. 626.

7

Tunc auferentur a mundo tenebræ illæ,
qui-

quibus offundetur, atque obcœcabitur cælum [a], & luna claritudinem ſolis accipiet [b], nec minuetur ulterius [c]. Sol autem ſepties tanto, quam nunc eſt, clarior fiet: Terra vero aperiet fœcunditatem ſuam [d], & uberrimas fruges ſua ſponte generabit: rupes montium mella ſudabunt: per rivos vina decurrent: & flumina lacte inundabunt. Mundus denique ipſe gaudebit, & omnis rerum natura lætabitur, erepta & liberata dominio mali, & impietatis, & ſceleris, & erroris.

 Non

a *Quibus offundetur, atque obcæcabitur Cælum.* Peracto Judicio primo, ea, quæ ſecundum hanc hypotheſim, ejus adventum præceſſerant, atque concomitata fuerant, horrenda ſigna, in ſole, luna & ſtellis, ſublatum iri, denunciat. Al: *offundebatur.... obcæcabatur.*

b *Luna claritudinem ſolis accipiet*: Iſai.xxx.ỽ.26. *Et erit lux Lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum in die, qua alligaverit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ ejus ſanaverit.* Et cap. LX. V. 19. *Non erit tibi amplius ſol ad lucendum per diem, nec ſplendor lunæ illuminabit te; ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam* &c.

c *Nec minuetur ulterius*: Iſaias ibidem V. 20. *Non occidet ultra ſol tuus, & luna tua non minuetur; quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam.*

d *Terra vero aperiet fœcunditatem ſuam* &c. Locutiones iſtæ, quæ in ſcripturis ſanctis ſæpe occurrunt, me-

metaphoricæ ſunt, & ſtatum ſignificant omnium bonorum aggregatione perfectum, in quo Beati æternum cum Chriſto Regnum poſſidebunt, perperam heic non ſecundum ſpiritum, ſed ad ſonum litteræ ſecundum carnem interpretata. Vide Interpretes ad laudata Apocalypſis loca; Iſaiam potius de pacifico Eccleſiæ Regno perſecutoribus ſublatis intelligendum eſſe, omnes fere denunciant; maxime cap. XI. a ℣. 7. & cap. LXV. ubi ait: *Lupus, & agnus paſcent una, & leo ſicut bos comedet fœnum, & ſerpenti pulvis panis* &c. quæ heic a Lactantio ſubduntur.

8

Non beſtiæ per hoc tempus ſanguine alentur, non aves præda: [a] ſed quieta & placida erunt omnia, leones & vituli ad præſepe ſimul ſtabunt: lupus ovem non rapiet: canis non venabitur: accipitres, & aquilæ non nocebunt; infans cum ſerpentibus ludet.

a *Non aves præda*. Schottus, & Al. *non ales*. Bun. *forte alites*.

9

Denique tunc fient illa, quæ poetæ [a] aureis temporibus facta eſſe jam Saturno regnan-

a *Quæ poetæ*. Schottus. *Prophetæ*.

gnante dixerunt. [b] Quorum error hinc ortus eſt, quod prophetæ futurorum pleraque ſic proferunt, & enuntiant, quaſi jam peracta [c]. Viſiones enim divino ſpiritu offerebantur oculis eorum, & videbant illa [d] in conſpectu ſuo quaſi fieri, ac terminari.

---

a *Saturno Regnante dixerunt.* Virgil. L. II. Georg. a V. 336.

> *Non alias prima creſcentis origine Mundi*
> *Illuxiſſe dies, aliumque habuiſſe tenorem,*
> *Crediderim: Ver illud erat: Ver magnus agebat*
> *Orbis; & hibernis parcebant flatibus Euri* &c.

Et Ovid. L. I. Metam. f. III. a V. 1.

> *Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo*

c *Sic proferunt, & enunciant, quaſi peracta.* De hoc Prophetico loquendi more videnda ſunt Interpretum prolegomena, in quibus regulæ traduntur, ne quis erret in Scripturarum intelligentia, præſertim circa ea, quæ præterita ſunt, aut futura.

d *Et videbant illa.* Al. *videbantur.* Al. *videbunt.*

10

Quæ vaticinia eorum quum paulatim fama vulgaſſet, quoniam profani a ſacramento [a], ignorabant quatenus dicerentur [b], completa jam eſſe veteribus ſæculis illa om-

---

a *Quoniam profani a ſacramento* &c. I. e. arcana religionis veræ oracula non rite intelligentes.

b *Dicerentur.* Al. *diceretur.*

Nec varios diſcet mentire lana colores.
Ipſe ſed in pratis aries jam ſuave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto,
Sponte ſua ſandyx paſcentes veſtiet agnos.
Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ
Ubera, nec magno metuent armenta leones.

Quorum ordinem commodo orationis Lactantius immutavit. Vide apud Euſeb. orationem Conſtantini M. *ad ſanctorum cœtum* cap.xx. ubi non ſolum hi verſus Græce leguntur; verum etiam Ecloga Virgilii inciſim exponitur. Betulejus hoc indicans, Euſebium *de Vita Conſtantini* videndum monet; ſed errat.

12

Quæ poeta ſecundum Cumanæ Sibyllæ carmina prolocutus eſt. Erythræa vero ſic ait:[a]

> *Οἱ δὲ λύκοι σὺν ἄρνεσ' ἐν οὔρεσιν ἀμμιγῶνται:*

Χό-

a *Erythræa vero ſic ait*: Latine ſic leguntur hæc carmina in noſtro Cod. Bon.

Lupi vero, & agni in montibus ſimul
Una paſcentur fœnum, pardi una cum hædis.
Urſi cum vitulis ſimul, & omnibus pecudibus,
Leoque carni vorax in præſepibus comedet paleas,
Cum Infantibus quoque dracones dormient.

In Gallæana Sibyl. Oracul. editione hæc extant pag. 478.

Χόρτον γὰρ ἴγκες τ' ἐρίφοισιν ἅμα βόσκονται.
Ἄρκτοι σὺν μόσχοισιν ὁμῶ, καὶ πᾶσι βροτοῖσι:
Σαρκοβόρος τε λέων φάγετ' ἄχυρον παρὰ φάτναις;
Σὺν βρέφεσίν τε δράκοντες ἀμάτροσι κοιμήσονται.

13

Et alio loco de ubertate rerum [a]:
Καὶ τότε δὴ χαρὰν μεγάλην θεὸς ἀνδράσι δώσει:
Καὶ γὰρ ἡ, καὶ δένδρα, καὶ ἄσπετα θρέμματα γαίης
Δώσουσιν καρπὸν τὸν ἀληθινὸν ἀνθρώποισιν.
Οἴνου καὶ μέλιτος γλυκέως, λευκοῦ τε γάλακτος,
Καὶ σίτου, ὅπερ ἐστὶ βροτοῖς κάλλιστον ἁπάντων. Et

a *De ubertate rerum*: Ibidem ſic latine in noſtro Codice:

Tunc itaque gaudium magnum dabit Deus hominibus;
Siquidem tellus, & arbores, & innumerabilia pecora terræ
Dabunt fructum verum hominibus
Vini, dulciſque mellis, & candidi lactis,
Atque frumenti, quod eſt hominibus præter omnia optimum.

Apud Gallæum hæc habentur L. III. pag. 452. proxima iis, quæ recitata ſunt cap. XIX. ſeg. 9. (d)

14

Et alia eodem modo [a] :

Εὐσεβέων δὲ μόνον ἁγία χθὼν πάντα τάδ' οἴσει,
Νᾶμα μέλιτος ἀπὸ πέτρης ἠδ' ἀπὸ πηγῆς
Καὶ γάλατ' ἀμβροσίης ῥεύσει πάντεσσι δικαίοις.

a *Et alia eodem modo*. Sic pariter latine ibidèm
Piorum autem tantummodò ſancta tellus omnia hæc feret.
Aqua de Petra mellifera, deque fonte,
Et lac divinum manabit omnibus juſtis.
Extant hæc Græce apud Gallæum pag. *609*.

15

Vivent itaque homines tranquilliſſimam vitam, & copioſiſſimam, & regnabunt cum Deo pariter, & reges gentium venient [a] a finibus terræ cum donis, ac muneribus, ut adorent, & honorificent regem magnum, cujus nomen erit præclarum, ac venerabile univerſis nationibus; quæ ſub cælo erunt, & regibus qui dominabuntur in terra.

CAP.

a *Et Reges gentium venient*: Hinc manifeſta apparere videtur quibuſdam confuſio primi, ac ſecundi Chriſti Domini adventus.

CAP. XXV.

1

HAec ſunt, quæ a prophetis futura dicuntur: [a] quorum teſtimonia, [b] & verba pone re ous non eſſe duxi, quoniam eſſet infinitum: nec tantarum rerum [c] multitudinem menſura libri caperet, tam multis uno ſpiritu ſimilia dicentibus [d], ſimulque ne faſtidium legentibus fieret, ſi ex omnibus collecta, & translata congererem: præterea ut ea ipſa, quæ dicerem, non noſtris, ſed alienis potiſſimum literis confirmarem, doceremque, non modo apud nos; verum etiam apud eos ipſos, qui nos inſectantur, veritatem conſignatam teneri, quam recuſant agnoſcere.

---

a *Hæc ſunt, quæ a Prophetis futura dicuntur.* Al. *Tò futura* non habent.

b *Teſtimonia.* Schottus. *teſtimonium.*

c *Nec tantarum rerum.* Al. *tantam rerum.* Aldus legit nobiſcum.

d *Uno ſpiritu ſimilia dicentibus.* Aldus *ſunt ſpiritu* &c. Schottus: *dicentes.*

2

Si quis autem diligentius [a] hæc voluerit

rit ſcire, ex ipſo fonte hauriat, & plura, quam nos in his libris complexi ſumus, admirabilia reperiet.

---

a *Si quis autem*. Al. *qui autem*.

3

Fortaſſe quiſpiam nunc requirat,[a] quando iſta, quæ diximus, ſint futura? Jam ſuperius oſtendi [b], completis annorum ſex millibus mutationem iſtam fieri oportere, & jam propinquare [c] ſummum illum concluſionis extremæ diem.

---

a *Nunc requirat*. Aldus: *hoc requirat*.

b *Jam ſuperius oſtendi*: Scilicet cap. XXIV. hujus libri VII.

c *Et jam propinquare*. Opinio hæc Patribus primorum ſæculorum fere communis fuit, ut ad lib. de M. P. cap. XXIV. dicemus. Schottus: pro *prædicta*: legit *dicta*.

4

De ſignis [a], quæ prædicta ſunt a prophetis, licet noſcere Prædixerunt enim ſigna, quibus conſummatio temporum & expectanda ſit nobis in ſingulos dies, & timenda. Quan-

---

a *De ſignis*. I. e. *è ſignis*.

5

Quando tamen compleatur hæc ſumma, docent ii, qui de temporibus ſcripſerunt, colligentes ea ex literis ſanctis, & ex variis hiſtoriis, quantus ſit numerus annorum ab exordio mundi, qui licet varient [a], & aliquantum numeri eorum ſumma diſſentiat [b], omnis tamen expectatio non amplius, quam ducentorum videtur annorum [c].

---

a *Qui licet varient*. Vide, quomodo etiam tunc, quum Lactantius ſcribebat, annorum numerus ab orbe condito incertus erat.

b *Summa diſſentiat*. Schottus: *diſſentiant*.

c *Non amplius quam ducentorum videtur annorum*. Tantum enim ſupereſſe ad ſexti millenarii complementum putavit Lactantius Græcorum, ac Orientalium ſupputationem ſecutus, de qua in tabulis chronologicis diffuſe egimus, & Diſſ. XIII. cap. IV. A. II. §. III. demonſtravimus.

6

Etiam res ipſa declarat lapſum, ruinamque rerum brevi fore, niſi quod incolumi urbe Romæ [a] nihil iſtiuſmodi videtur eſſe metuendum.

At

---

a *Incolumi urbe Roma*. Scilicet ob id, quod de ejus ruina, judicio prævia, ſupra cap. XV. dixerat.

7

At vero cum caput illud orbis occiderit, & ῥώμη [a] eſſe cœperit, quod Sibyllæ fore ajunt, quis dubitet veniſſe jam finem rebus humanis, orbique terrarum?

a *Et ῥώμη eſſe cæperit*. Sic meliores, & ad verborum ſenſum accomodatius. Al. ΠΥΡΙΝ Al. πῦρ, quod minus cum dictis coheret; non enim incendium totius Urbis *Pyra* dicitur.

8

Illa eſt [a] enim civitas, quæ adhuc ſuſtentat omnia [b]: precanduſque nobis, & adorandus [c] eſt Deus cæli; ſi taman ſtatuta ejus, & placita differri poſſunt, ne citius, quam pu-

a *Illa eſt enim*: Schottus ultimam delet vocem cum Aldo.

b *Quæ adhuc ſuſtentat omnia*. Non quidem civili; ſed ſacro, ac cæleſti imperio; quatenus Chriſtianæ Reipublicæ Metropolis merito ex tunc jam ab omnibus putabatur. Ideoque Tertullianus in Apologetico cap. XXXII. *Ipſamque clauſulam ſæculi acerbitates horrendas comminantem, Romani Imperii commeatu, ſcimus retardari*.

c *Precanduſque nobis, & orandus*. Al. *& adorandus*.

putamus, tyrannus ille abominabilis [d] veniat, qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud effodiat [e], cujus interitu mundus ipſe lapſurus eſt.

---

d *Tyrannus ille abominabilis*. *Al. abominandus* cum Schotto.

e *Lumen illud effodiat*. Egregie Romam heic lumen metaphorice Lactantius appellant; ab hac enim urbe fidei lux in orbem univerſum puriſſima ſemper emiſſa eſt, & ex quo primum emicuit, numquam aut diſceſſit, aut ceſſavit diffundi.

9

Nunc ad cætera exequenda redeamus, quæ deinceps ſecutura ſunt.

CAP. XXVI.

1

DIximus paulo ante; [a] in principio regni ſancti fore, ut a Deo princeps dœmonum vinciatur. Sed idem, quum mille anni regni, hoc eſt, ſeptem millia, cœperint terminari, ſolvetur denuo, & cuſtodia emiſſus exibit: atque omnes gentes, quæ tunc erunt ſub ditione juſtorum, concitabit, ut inferant bel-

---

a *Diximus paullo ante*. Scilicet cap. xxiv.

bellum [b] ſanctæ civitati, & colligetur ex omni orbe terræ innumerabilis populus nationum & obſidebit, & circundabit civitatem.

---

b *Vt inferat bellum Sanctæ Civitati*. Apocal. cap. xx. a V. 7.

2

Tunc veniet noviſſima ira Dei ſuper gentes, & debellabit eas uſque ad unum, [a] ac primum concutiet terram quam validiſſime; & a motu ejus ſcindentur montes Syriæ, & ſubſident colles in abruptum, & muri omnium civitatum corruent, & ſtatuet Deus ſolem triduo ne occidat, [b] & inflammabit eum, & deſcendet æſtus nimius, & aduſtio magna ſuper perdulles, & impios populos, & imbres ſulfuris, & grandines lapidum, & guttæ ignis: & liqueſcent ſpiritus eorum in calore: & corpora conterentur in grandine: [c] & ipſi ſe invicem gladio ferient: [d] & reple-

---

a *Et debellabit eas uſque ad unum*. Apocal. c. xix. a V. 18. & cap. xvi. a V. 18.

b *Et ſtatuet Deus ſolem triduo ne occidat*. Nullibi hujus prophetiæ veſtigium invenimus.

c *In grandine*. Schottus: *in grandinem*.

d *Et ipſi ſe invicem gladio ferient*. Al. *&* *ipſe*, Bon.

buntur montes cadaveribus : & campi operientur oſſibus .

Bon. Tò *ſe non habet*. Neque hoc alicubi prædictum inveni.

3

Populus autem Dei tribus illis diebus ſub concavis terræ occultabitur , [a] donec ira Dei adverſus gentes extremum judicium terminet [b] .

a *Sub concavis terræ occultabitur* . Al. *occupabitur*. Forte hoc deſumptum eſt ex illo Job.xiv.℣.13. *Quis mihi hoc tribuat , ut in Inferno protegas me , & abſcondas me , donec pertranſeat furor tuus* &c.

b *Terminet* : Schottus , & Aldus: *terminetur*.

4

Tunc exibunt juſti de latebris ſuis , & invenient omnia cadaveribus , atque oſſibus tecta . Sed & genus omne impiorum radicitus interibit : nec erit in hoc mundo ulla jam natio amplius , præter ſolam gentem Dei . Tum per annos ſeptem perpetes [a] intactæ erunt

a *Tum per annos ſeptem perpetes* &c. Ezech.xxxix. V. 9. *Et egredientur habitatores de Civitatibus Iſrael & ſuccendent , & comburent arma , Clypeum , & haſtas , arcum & ſagittas , & baculos manuum , & contos , & ſuccendent ea igni ſeptem annis* .

erunt ſylvæ : nec excidetur de montibus lignum : ſed arma gentium comburentur , & jam non erit bellum ; ſed pax , & requies ſempiterna .

5

Quum vero completi fuerint mille anni , renovabitur mundus a Deo [a] , & cælum complicabitur : & terra mutabitur , & tranſformabit Deus homines in ſimilitudinem angelorum [b] , & erunt candidi ſicut nix,& verſabuntur ſemper in conſpectu omnipotentis , & domino ſuo ſacrificabunt , & ſervient in æternum .

a *Renovabitur Mundus a Deo* . Apocal. xxi. Iſai. lxv., & lxvi.

b *In ſimilitudinem Angelorum* . Burnetius *de ſtatu Mort.* , *&* *Reſurg.* cap. viii. pag.169. ex Luc.xx. ℣. 35. ſeq. Angelos habere corpora inorganica colligit, & in nota appoſita Auguſtinum, Tertullianum, & Lactantium laudat ; ſed vide Diſſ.xxvi. c.II. §.vi.

6

Eodem tempore fiet ſecunda illa , & publica omnium reſurrectio , in qua excitabuntur injuſti ad cruciatus ſempiternos [a] . Ii ſunt qui manu facta coluerunt; qui do-

a *Eodem tempore fiet ſecunda illa , & publica reſur-*

dominum mundi, ac parentem vel neſcierunt, vel abnegaverunt.

ſurrectio, in qua excitabuntur impii ad cruciatus ſempiternos. Schott. *eodem modo*. Al. *exterminabuntur*. Vide a nobis dicta ad cap. xx., nam ex his, quæ heic dicuntur, illa debent explicari.

7

Sed & dominus illorum cum miniſtris ſuis comprehendetur [a], ad pœnamque damnabitur, cum quo pariter omnis turba impiorum pro ſuis facinoribus in conſpectu angelorum, atque juſtorum perpetuo igni cremabitur in æternum.

---

a *Sed & Dominus illorum cum miniſtris ſuis comprehendetur* &c. Apocal. xx. V. 9. *& deſcendet ignis a Deo de Cælo, & devorabit eos; & Diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, ubi & Beſtia, & Pſeudo-propheta cruciabuntur die, ac nocte in ſæcula ſæculorum*.

8

Hæc eſt doctrina ſanctorum prophetarum, quam Chriſtiani ſequimur: hæc noſtra ſapientia, quam iſti, qui vel fragilia [a] colunt, vel

---

a *Qui vel fragilia*. Sic etiam Aldus. Al. Tò vel omittunt.

vel inanem philoſophiam tuentur, tanquam ſtultitiam, vanitatemque derident, quia nos defendere hanc publice, atque aſſerere nos ſolemus [b], Deo jubente [c], ut quieti, ac ſilentes arcanum ejus in abdito [d], atque intra noſtram conſcientiam teneamus.

---

b *Quia nos defendere hanc publice non ſolemus*. De carnis reſurrectione, ac de ſupremo Chriſti Judicio publice non loquebantur fideles ex arcani diſciplina, ne a Gentilibus deriderentur, ſicuti divo Paulo de his myſteriis loquenti, accidiſſe narrat S. Lucas *in Actis Apoſtol.* cap. xxvi. ℣. 24. Nam Porcius Feſtus Judææ Præfectus, quum eum de judicio loquentem audiſſet: *Inſanis*, inquit; *Paule: multæ te litteræ in inſaniam convertetunt*.

c *Deo jubente*. Schottus: *Deo nos jubente*. Matth. VII. ℣. 6. *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis Margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis* &c. Quæ vulgares dicendi formulæ ſunt, quibus præcepitur, ne myſteria divina exponantur incredulis, & Paganis, a quibus ſcimus debita cum veneratione non eſſe recipienda. Vide S. Jo. Chriſoſt. ea verba exponentem, & Auguſt. L. II. *de ſerm. Dom.*, alioſque interpretes ibidem.

d *Arcanum ejus in abdito*. Schottus *in abſcondito*.

9

Nec adverſus iſtos vere profanos, qui non diſcendi, ſed arguendi, atque illuden-

di gratia inclementer Deum[a], ac religionem ejus impugnant, pertinaci contentione certemus.

a *Inclementer*. Schottus. *dementer*.

10

Abſcondi enim, tegique myſterium, quam fideliſſime oportet, maxime a nobis, qui nomen fidei gerimus. Verum illi hanc taciturnitatem noſtram, veluti malam conſcientiam, criminantur[a].

a *Veluti malam conſcientiam criminantur*. Cæcilius apud Minucium Felicem *in Octav.* de Chriſtianis loquens, qui arcani diſciplinam cuſtodiebant, ait: *Latebroſa, & Lucifugax natio; in publicum muta, in angulis garrula*. Vide Tertull. in Apolog. Athenag., alioſque pro Chriſtianis cauſſam agentes contra Ethnicorum impoſturas.

11

Unde etiam quaſdam execrabiles opiniones de pudicis, & innocentibus fingunt[a], & libenter his, quæ finxerunt, credunt[b]. Sed

a *De pudicis, & innocentibus, fingunt*: Vide apud Tertull. in cap. II. & VII. *Apolog*. Apud Minc. Fel. ubi ſupra pag. 8. &c

b *His quæ finxerunt credunt*: Hiſce verbis Aldus, Schot-

Sed omnia jam, *Sanctiſſime Imperator* [c], figmenta ſopita ſunt [d], ex quo te Deus ſummus ad reſtituendum juſtitiæ domicilium, & ad tutelam generis humani excitavit. Quo gubernante Romanæ Reipublicæ ſtatum, jam cultores Dei pro ſceleratis, ac nefariis non habemur [e]. Jam emergente, atque illuſtrata veritate non arguimur, ut injuſti, qui opera juſtitiæ facere conamur. Nemo jam nobis Dei nomen exprobrat. Nemo irregilioſus ulterius appellatur, qui ſoli omnium religioſi ſumus, quoniam contemptis imaginibus mortuorum, vivum colimus, & verum Deum.

Schottus, Iſæus, & alii quidam cum Noſtro Bon. Cod. finem huic capiti imponunt; neque pro genuino Lactantii fœtu agnoſcunt orationem, quam alii nobiſcum continuant uſque ad alterius capitis initium, propter rationes a nobis indicatas in Diſſ.x. a §.1. ibidemque diſcuſſas.

c *Sanctiſſime Imperator*. De M. P. cap. XVIII. *Conſtantinus Sanctiſſimus adoleſcens*.

d *Figmenta ſopita ſunt*. Primam ex his vocibus ſæpe adhibet Lactantius in hocce L. VII. & in aliis. L. I. c. I. vero phraſim huic ſimilem habet, quum dicit: *erroreſque turpiſſimos ſopiamus*.

e *Pro ſceleratis, ac nefariis non habemur*. Hinc apparet, quomodo ab initio Conſtantiniani Imperii Chriſtiani pace frui cœperint, & eo jam regnante, librum hunc fuiſſe abſolutum, atque vulgatum.

12

Te providentia ſummæ divinitatis ad faſtigium principale provexit [a], qui poſſes vera pietate aliorum male conſulta reſcindere, peccata corrigere, ſaluti hominum paterna clementia providere, ipſos denique malos a Rom. Popul. ſummovere: quos ſumma pietate dejectos, in manus tuas idem Deus tradidit, ut eſſet omnibus clarum, quæ ſit vera majeſtas.

a *Ad faſtigium principale provexit.* De M. P. c. IV. *Quaſi hujus rei gratia provectus eſſet ad illud principale faſtigium.*

13

Illi enim qui, ut impias religiones defenderent, cæleſtis, ac ſingularis Dei cultum tollere voluerunt, profligati jacent [a]: Tu autem, qui nomen ejus defendis, & diligis, virtute, ac felicitate præpollens, immortalibus tuis gloriis beatiſſimus frueris.

Illi

a *Profligati jacent.* Similia habentur L. de M. P. c. I., & Epitom. c. LIII, quæ omnia ſi conferantur cum iis, quæ a Lactantio dicuntur Lib. I. cap. I. & Lib. V. c. XV. *Inſt. Divin.* invicem illuſtrantur, ſimulque apparet qui ex hiſce libris ſcripti ſint perſecutione finita, perſecutoribuſque, vel imperio privatis, vel omnino deletis.

14

Illi pœnas ſceleris ſui & pendunt,& pependerunt: Te dextera Dei potens ab omnibus periculis protegit [a]; tibi quietum,tranquillumque moderamen, cum ſumma omnium grarulatione largitur.

a *Ab omnibus periculis protegit*: De M.P. c.xxiv. *Dei manus hominem protegebat*.

15

Nec immerito rerum dominus, ac rector te potiſſimum delegit, per quem ſanctam religionem ſuam inſtauraret, quoniam unus ex omnibus extitiſti, qui præcipua virtutis, & ſanctitatis exempla præberes: quibus antiquorum principum gloriam, quos tamen fama inter bonos [a] numerat, non modo æquares; ſed etiam (quod eſt maximum) præterires.

a *Inter bonos*. Vide ad L. de M.P. cap.III. ſeg.4.

16

Illi quidem natura fortaſſe tantum ſimiles juſtis fuerunt; qui enim moderatorem univerſitatis Deum ignorat, ſimilitudinem ju-

juſtitiæ aſſequi poteſt , ipſam vero non poteſt [a] .

a *Similitudinem juſtitiæ aſſequi poteſt , ipſam non poteſt .* L.III. c.xvii. *Umbram quandam virtutis videbant , ipſam virtutem non videbant .*

17

Tu vero & morum ingenita ſanctitate , & veritatis,& Dei agnitione in omni actu juſtitiæ opera conſummas . Erat congruens, ut in formando generis humani ſtatu, Te autore, ac miniſtro divinitas uteretur . Cui nos quotidianis precibus ſupplicamus , ut te in primis , quem rerum cuſtodem voluit eſſe , cuſtodiat : deinde inſpiritet tibi voluntatem , qua ſemper in amore divini nominis perſeveres . Quod eſt omnibus ſalutare , & tibi ad felicitatem , & cæteris ad quietem .

CAP. XXVII.

1

QUoniam decurſis propoſiti operis ſeptem ſpatiis [a] , ad metam pervecti [b] ſumus , ſupereſt , ut exhortemur omnes

a *Septem ſpatiis* . Sic Cicero *in Catone Maj* c.xxiii. *quaſi decurſo ſpatio* . Bon. *ſpaciis* .
b *Pervecti* . Al. *provecti* .

omnes ad ſuſcipiendam cum vera religione ſapientiam, cujus vis, & officium in eo vertitur, ut contemptis terreſtribus, & abjectis erroribus, quibus antea tenebamur, fragilibus ſervientes, & fragilia concupiſcentes, ad æterna cæleſtis theſauri præmia dirigamur [c], quæ ut capere poſſimus, quamprimum omittendæ ſunt [d] hujus præſentis vitæ illicibiles voluptates [e], quæ animas hominum. Perniciofa ſuavitate [f] deleniunt [g].

---

c *Dirigamur*. Bon. *derigamur*.

d *Omittenda ſunt*. Al. *emittendæ*.

e *Illicibiles voluptates*. Bon. *inlicibiles*. Schottus *illices*. Al. *illacibiles*. Scilicet, quæ *illicere*, aut *allicere* poſſunt.

f *Perniciofa ſuavitate*. Al. *pernicioſiſſima*. Legunt nobiſcum Aldus, & Schottus.

g *Deleniunt*. Al. *deliniunt*.

2

Quanta felicitas æſtimanda eſt [a], ſubtractis his labibus [b] terræ, proficiſci ad illum æquiſſimum judicem, parentemque indulgentiſſi-

---

a *Æſtimanda eſt*. Al. *exiſtimanda*. Al. *extimanda*. Aldus, & Schottus noſtram tuentur lectionem.

His labib us, Al. *ab his labibus*.

Digitized by Google

tiſſimum, qui pro laboribus requiem, pro morte vitam, pro tenebris claritatem, pro terrenis, ac brevibus bonis æterna, & cæleſtia largiatur, cum qua mercede acerbitates, ac miſeriæ, quas perpetimur in hoc mundo facientes opera juſtitiæ, conferri, & coæquari nullo modo poſſunt.

3

Proinde ſi ſapientes, ſi beati eſſe volumus, cogitanda, & proponenda ſunt nobis non tantum Terentiana illa [a] *molendum eſſe* [b] *uſque in priſtino, vapulandum, habendæ compedes*; ſed his multo atrociora [c] carcer, catenæ, tormenta patienda, ſuſtinendi dolores, mors denique ipſa & ſuſcipienda eſt, & ferenda: quum liqueat conſcientiæ noſtræ, nec fragilem iſtam voluptatem ſine pœna, nec virtutem ſine divino præmio fore.

Uni-

a *Terrentiana illa* &c. Vide Terent. *in Phorm. Act. II. Sc.* 1. ℣. 19.

b *Molendum eſſe* &c. Iſæus Tò *eſſe* omiſit. Al. Tò *uſque* non habent.

c *Multo atrociora*. In Bon. deleti ſunt characteres intermedii,&qui apparent ſunt ita formati.r.c.r.2. Al. *pejora*. Al. *majora*.

4

Univerſos igitur oportet operam dare, ut vel ſe quamprimum [a] ad rectam viam dirigant, vel ſuſceptis, operatiſque virtutibus, & hujus vitæ laboribus patienter exactis, conſolatorem Deum habere mereantur [b].

a *Vel ſe quam primum ..... vel ſuſceptis*. Sic ex noſtro Cod. Schotto, & Aldo reſtituimus. Al. *vel* primum auferunt, Al. retinent primum, ſed ſecundum mutant in *ut*.

b *Habere mereantur*. Iſæus *mereamur*.

5

Pater enim noſter, ac dominus, qui condit, firmavitque cælum, qui Solem cum cæteris ſyderibus induxit [a], qui libratam magnitudine ſua terram vallavit montibus, mare circundedit, amnibuſque diſtinxit [b], & quicquid eſt in hoc opere mundi conflavit, ac perfecit ex nihilo [c]: perſpectis [d] erroribus hominum, ducem miſit, qui nobis juſtitiæ viam panderet.

Hunc

a *Sideribus induxit*. Bon. *illuxit*.

b *Amnibuſque diſtinxit*. Bon. *diſtincxit*. Al. *omnibuſque*. Schottus *orbibuſque*. Al. *orbuſque*. Al. *urbibuſque*.

c *Ac perfecit ex nihilo*. Al. *e nihil*.

d *Perſpectis*. Al. *proſpectis*. Al. *inſpectis*.

6

Hunc ſequamur omnes, hunc audiamus, huic devotiſſime pareamus [a], quoniam ſolus (ut ait lucretius [b]) :

Veridicis [c] *hominum purgavit* [d] *pectora dictis :*
Et finem ſtatuit cuppedinis, atque timoris:
Expoſuitque bonum ſummum, quo tendimus omnes,
Quid foret, atque viam monſtravit limite parvo,
Qua poſſemus ad id recto contendere curſu.

---

a *Devotiſſime pareamus*. Al. *avidiſſime*.
b *Ut ait Lucretius*. L. VI. ℣. 23.
c *Veridicis*. Bon. *viridicis*.
d *Purgavit*. Bon. *purgabit*. Schottus *pugnavit*.
e *Cuppedinis*. Al. *cupedinis*. Bon. *Torpedinis*.

7

Nec monſtravit tantum, ſed etiam præceſſit, ne quis difficultatis gratia iter virtutis horreret [a]. Deſeratur, ſi fieri poteſt, via perditionis, & fraudis, in qua mors voluptatis illecebris adoperta celatur [b].

Et

---

a *Horreret*. Bon. *horrebit*.
b *Adoperta celatur*. Schottus *adoperata*. Al. *calcatur*.

8

Et quanto quiſque annis[a] in ſenectutem vergentibus appropinquare cernit illum diem,quo ſit ei ex hac vita demigrandum[b], cogitet, quam purus abſcedat, quam innocens ad judicem veniat[c], non ut faciunt, quidam cœcis mentibus nixi, qui jam deficientibus corporis viribus[d], in hoc admonentur inſtantis ultimæ neceſſitatis[e], ut cupidius, & ardentius hauriendis libidinibus intendant.

a *Quiſque annis*. Bon. *quiſque animis*.

b *Ex hac vita demigrandum*. Bon. *ex hoc ad vitam migrandum*.

c *Ad judicium veniat*. Sic Aldus quoque, & Schottus. Al. *ad judicem* cum Iſæo.

d *Cœcis mentibus nixi, qui jam deficientibus corporis viribus*. Bon. *quidam deficientibus corporis viris*. Al. *cœcis mentibus viri*.

e *Vltimæ neceſſitatis*. Bon. *neceſſitates*. Mortem intellige, ut apud Tacitum xv. *annal.* cap. 61.

9

Qua ex voragine liberet ſe quiſque dum licet, dum facultas adeſt, ſeque ad Deum tota mente convertat, ut illum diem ſecurus expectet, quo præſes, dominuſque[a] mundi Deus

a *Quo Præſes, dominuſque*. Bon. *præſens, dominuſque*. Al. *potens, dominuſque*.

Deus de ſingulorum factis, cogitationibuſque judicabit : quæcumque hic expetuntur, non tantum negligat, ſed & fugiat [b], potioremque animam ſuam judicet, quam bona iſta fallacia, quorum incerta, & caduca poſſeſſio eſt; migrant enim quotidie, & multo velocius exeunt, quam intraverant,

b *Sed & fugiat*. Bon. *ſed effugiat*. Sic etiam Schottus.

10

Et tamen [a] ſi nobis uſque ad ultimum liceat iſtis frui, aliis certe relinquenda ſunt. Nihil nobiſcum ferre poſſumus, niſi vitam bene, atque innocenter actam.

a *Et tamen, ſi nobis* &c. Schottus: *& tametſi*.

11

Ille ad Deum copioſus, [a] ille opulentus adveniet, cui aſtabunt continentia, miſericordia, patientia, charitas, fides. Hæc eſt hæreditas noſtra, quæ nec eripi cuiquam, nec transferri ad alterum [b] poteſt.

Et

a *Ille ad Deum copioſus*. Al. *copioſius*.
b *Nec transferri ad alterum*. Al. cum Iſæo: *ad alium*.

Digitized by Google

12

Et quis eſt, qui hæc bona parare, ac acquirere ſibi velit? Veniant, qui eſuriunt, ut cæleſti cibo ſaturati, ſempiternam famem ponant. Veniant, qui ſitiunt, ut aquam ſalutarem de perenni fronte [a] pleniſſimis faucibus trahant.

---

a *De perenni fonte*. Al. *de perenni, cæleſtique fonte*.

13

Hoc cibatu, [a] atque potu Dei & cœci videbunt, & ſurdi audient, & muti loquentur, & claudi ambulabunt, & ſtulti ſapient, & ægroti valebunt, & mortui reviviſcent.

---

a *Hoc cibatu*. Al. cibo acto.

14

Quiſquis enim corruptelas terræ virtute calcaverit, hunc arbiter ille ſummus, & verax ad lucem, vitamque perpetuam ſuſcitabit [a].

Ne-

---

a *Suſcitabit*. Bon. *ſuſcitavit*.

15

Nemo divitiis, nemo faſcibus, nemo etiam regia poteſtate confidat: immortalem iſta non faciunt. Nam quicumque rationem hominis abjecerit [a], ac præſentia ſecutus, in humum ſe ipſe proſtraverit: tanquam deſertor Domini, & imperatoris, & patris ſui punietur.

a *Hominis abjecerit*. Al. *dejecerit*.

16

Intendamus ergo juſtitiæ, quæ nos inſeparabilis comes ad Deum ſola perducet [a], & dum ſpiritus hos regit artus [b], infatigabilem militiam Deo militemus, ſtationes, vigiliaſque celebremus, congrediamur cum hoſte, quem novimus, fortiter, ut victores, ac devicto adverſario triumphantes, præmium virtutis, quod ipſe promiſſit, a Domino conſequamur.

a *Perducet*. Heum. *perducat*.
b . . . . . *Dum ſpiritus hos regit artus*. Hemiſtichium eſt Virgilianum L. IV. æn. ℣. 336.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F I N I S.

Præmia quidem ipſa non ſunt in ejus facto, qui adeptus eſt; ſed in ejus, qui dedit, Cicer. pro Balbo cap. 1.

Digitized by Google

Digitized by Google

4-3-4